B. M. II, 359a
h. 70, 8.
(X187 7341)
II k 235

J. J.

# JURA POCULORUM

PRÆSIDE

JOH. GEORGIO. SIMONE. D.

EXPONIT

JOHANNES. DAVID. Mart

HALLENSIS. SAXO

---

JENÆ.
Ex Officina Mülleriana
M. DC. LXXIIX.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0001-7

# L. S.

TAmetſi jam condignum protervæ novitatis admirari animum fortaſſe tuum ſubeat, ſobriè pariter compoſiteque Lector, videlicet dum illud, quod inter Gentes propè conclamatum, ut & inſanabile profectò malum, æſtimatur, Juris ſimul ac juſtitiæ limitibus circumſcribere, ejusdemque haud obſcuram à verò declinationem digito demonſtrare fuſiùs ſatago; Veniam attamen meo rurſus inſtituto lubentiſſimè concedes, dum illud ſimiliter, quod ſui natura indifferentibus adſcribendum cenſuit, in pejorem ſæpiſſimè partem abreptum & ad abolendum certè abuſum adhibitum, integritati Legum priſtinæ reſtituere pertento. Bono equidem, non eo inficias, inæſtimabili ſe inter mortales gaudere arbitrantur ii, qui favore ſuperiorum tumidi, ſuſpenſo quaſi gradu ſpectatiorum ingrediuntur ſedes, in verba intenti; in facta, in mores eorundem optimè proni: qui ad cujusvis ingenium actiones verſutè proprias conformarere, ac ſe totos ſecundum quemlibet protectoris afflatum providè componere callent, continuant, perficiunt. Hinc iterum atque ſæpiùs gratiam ſibi, datâ occaſione, per pocula demereri intendunt, & quò tanquam Tiberiani omnium horarum amici, ob epotam, quæ propinatur, vini amphoram præmia reportent ſatis ampla, noctem continuumque non tantum biduum; ſed menſes at-

que annos epulando potandoque conſumunt. *Vid. Heinric. Cornel. Agripp. à Nettesheim de Incertitud. & vanitat. omn. ſcient. cap. 69. de Nobb. Aulic. p. m. 303. Trajan. Boccalin. Relation. ex Parnaſſ. cent. 2. relat. 5. p. m. 291. & ſeqq. Hyppolit. à Collib. Palatin. p. m. 199. C. Sueton. Tranquill. in vit. Tiber. cap. 42. p. m. 121. Adam. Preyel. Flor. Capellan. Bipontin. Inſtitut. vir. privat. ex Idiomat. Hiſpan. cap. 11. de amicis. p. m. 30. & ſeqq. ac Inſtitut. vir aulic. ex Idiomat. Ital. lib. 2. cap. 1. p. m. 112.* Aſt bonum ſcilicet, cordicitùs adamandum; bonum, ſi diis placet! omnimodo exoſculandum; bonum præ aliis, pace tamen probitatem excolentis, viro hoc perſonato digniſſimum. Rectius ſanè rem acturos adopinor eos, qui ſobrio conſiliorum pondere, defecatoq; officiorum momento ſuum ſibi commodum comparant, ut & absque damno alterius feliciſſimè promovent: qui non immenſa, quæ offeruntur, poculorum fercula; ſed potius dimenſa juris & ut æquitatis remedia volunt, exoptant, cuſtodiunt, adhibent. Sed ne ſontico huic quorundam paraſitorum malo dicam in ſpecie conſcripſiſſe videar, ulterius exſpatior, juxtim & alios, non minus Deo deformitatis jam prædicto ſacrificantes contemplor. Undecunque enim in orbe, & apud Gentes ferè cujuscunque nationis, imò apud Garamantes & Indos celebrata ſuo modo, quanquam variatis ſeculis, temulenti Liberi Orgia obſequiaq; in aperto eſt, *Franciſc. Irenic. lib. 1. Exeg. Germ. cap. 16.* Græcum certè ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι; aut bibe aut abi; Sauff oder entlauff/ protervo more ubivis circumfertur, *Vid. Chriſtian. Matth. Theatr. Hiſtoric. Theoret. practic. in Cambyſ. p. m. 172. cum Plin. lib. 14. cap. 22. Cœl. Rhodig. lib. 4. c. 10. L. Ann. Senec. Epiſtol. ad Lucil. 83. lib. 12. p. m. 439.* Germanorum in inebriando dulcedinem pluribus proſequi ſupervacaneum arbitror. Nec magis urgere animus eſt, quid olim Carthaginenſes, Celtiberi, Thraces, Indi de hoc deterrimo vitiorum cumulo conſenſerint, *Vid. Cœl. Rhodigin. Ant. Lect. lib. 28. cap. 6. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 11.* Ut rem in pau-

ca

ca conferam, cenſetur ſtygia hæc malorũ congeries animis hominum imperitare, pariter & quicquid flagitii dari vel excogitari poteſt, ex ſe ſe, largiſſimo ſubinde partu, in mundum producere. Atque utinam per nefandum hocce monſtrum propriam ſolummodo ſibi mortales conciliarent inſaniam, nec ſuo inſimul proximo ultima quæque, quid? immatura proh dolor! compararent fata! Utinam ad meliora magis humanus benè cupiendi ſeſe derivaret ardor! Utinam, atque iterum utinam ad ſobrietatem citius hominum ſeſe adornarent membra, quam ut proximis (deſperato quoque conſilio, vacillantia redderent corpora! Sed quidnam optare conducere valebit, ubi inſopita morbi vehementia omnis reconvaleſcentiæ remedia neſcit? ubi elaboratam jam ebrietatem horrendùm pereundi aconitum adimplet? ubi funerales pompæ nigror ſupremum mortalitatis exiſtere conſummat? Hinc tot variæ non rarò poculorum medicinæ; hinc tot exquiſitæ veneni mali officinæ: hinc tot horrendæ reliquæ delendi hominem aſtutiæ. Quapropter cunctis hiſce non leviter inſtigatus, præſens hocce conamen Tibi, cordate atque virtuoſe Lector, impræſentiarum ſiſto; non quaſi intendam, quod fata avertant, uberiora chartarum pondera erudito Doctorum orbi obtrudere, aut me, ſolitâ inter noſtrates neceſſitate, pennis venuſtè alienis exornare; ut potius per contrapoſitionem virtutis atque vitii, exceſſus atque medii, in quantum fundamentis Juridicis nituntur, ad oculum oſtendam, quid æra lupinis, vera falſis, fucata puris diſtare longius, juxta ac prægnantiora prædicari valeant. Quod ſi idcircò hoc compoſitionis genus per fundamenta, deſcriptiones, cauſas, diviſiones atque aſſignatas actiones ponderatum per accidens quoque delicato forſitan palato complacuerit, lubentiſſimè id Tibi aſſignatum cupio; Sin minus, nec Tuum probè confirmatum judicandi morem quicquam ſubterfugio. Me profecto nunquam pigebit, ſicubi hæſito, quærere, nec pudebit, ſicubi erro, diſcere.

# CAPUT I,

## FUNDAMENTUM, DEFINITIONEM ET CAUSAS PROPONENS.

NE tamen omni fundamento Juridico prorſus deſtitutus, illotis, ut ajunt, manibus rem ipſam aggredi velle videar, in genere theſes meas confirmare conabor *ex L. omne delictum. 6. §. qui ſe vulneravit. 7. ff. de Re militari. L. proſpiciendum. 11. §. delinquitur. 2. de pœnis. L qui quatuor. 30. pr. de Legat. 3. L. Sejæ. 36. de Aur. & argent. legat. L. milites 12. pr. de Cuſtod. reor. L. unica. Si quis. C. ſi quis Imperatori maled. L. ſi quis aliquid. 38. §. qui abortionis. 5. de Pœn. c. Epiſcopus. 1. c. ab exordio. 2. & ſeqq. diſtinct. 35. c. 7. ſanè. 15. q. 1. c. commiſſationes. 1. diſtinct. 44. c. 14. à crapula. X. de Vit. & honeſtat. Clericor.* Deſcribimus autem *Jus Poculorum per facultatem diſponendi circa potum*: ſive jam id fiat ex definitione prudentis & moderatè; ſive ex aberratione à decenti perſonæ medio, & immoderatè; ſive ex fraudulento lædendi principio, & protervè. *Cauſam eorum efficientem* dicimus partim Deum & naturam; partim etiam hominem. Cum etenim Deus, tanquam ſupremus hujus univerſi conditor, vitam mortalium in calido & humido conſiſtere voluerit, prouti quoque perſpicuum eſt ex *Ariſtotele de longit. & brevitat. vit.* calor autem continuò in humidum agat, atque illud abſumat, imò indies exſiccet & tanquam pabulum ſuum depaſcat: hinc ſanè corpus noſtrum in perpetuo quaſi cenſetur fluxu, & niſi ſubindè ſimilis ſubſtantia in ejus, quod abſumitur ac diſſipatur, locum reponeretur, marceſceret id immaturè, homoque vitâ ante fatalem terminum defungeretur, *vid. Johann. Meibom. de Cereviſ. cap. 1. n. 1. & ſeqq. cùm Galen. lib. 3. de Sanitat. tuend. cap. 2.* Hinc

igi-

igitur quilibet vitam ſuam potione utili ſuſtentat atque conſervat; perinde ut hortulanus plantam, quam nocturnis diurnisque aquis irrigatam creſcere juxtim & florere efficiat: ac in hoc videtur quoqve ſua fundamenta poſuiſſe *Cauſa finalis*; cui correſpondet *Effectus*, videlicet hominis, in quantum per naturam poſſibile, apta ſanitatis conſtitutio. *Materiam poculorum continentem* ſubinde variatam novimus; uſitatiſſima tamen inter noſtrates eſt vitrum, metallum, creta figulina & quandoque lignum (tametſi alia quoque receptacula ad liquida amplectenda proſtent) ex quibus omnibus ingenioſa artificum manus ſtupendæ ſæpius formæ inſtrumenta bibendi conſtruere callet. *Contenta* parili ratione pro captu diverſiſſimarum Gentium diverſa exiſtit. prima certe & ſimpliciſſima ad ſitim ſedandam fuit aqua. *Clem. Alexandrin. lib.* II. *pædag c.* II. Succedit à Noacho & poſteris magis magisq; excultum plantandi vini artificium, *Geneſ. 9. vers. 20. add. Athen. lib. 1. cap. 20. & lib. 3. cap. 73.* qui Baccho hancce continuationem aſſignat. Inſecuta præterea lactis adhibitio, prouti de Cyclopibus, Nomadibus & Getis, Maſſagetis, Æthiopibus, Tartaris, Scotis, Germanis & pluribus aliis ſcripſerunt *Haith. Monach. Armen. Hiſtor. Orient. cap. 3. Columell. l. 7. de Re Ruſtic. cap. Matth. Micchov. Sarmat. lib. 1. cap. 6. Brugerin. lib. 11. cap. 5 Paul. Venet. Itiner. lib. 1. cap. 57. Pombon. Mel. lib. 1. cap. 8. Vincent. Belluacenſ. Spec. Hiſtor. lib. 30. cap. 78. Johann. Meibom. de Cereviſ. c. 2.* Nec deſtituti fuerunt ad ſeptentrionem magis inclinantes populi ſuo bibendi artificio, *teſte Plinio lib. 14. cap. 22.* Dum mirâ vitiorum ſolertiâ inventum etiam eſſe contendit, quemadmodum aqua inebriaret, & non vitiferarum regionum populis ſua eſſet ex fruge madida ebrietas, nullaque in mundi parte ceſſaret: hinc cereviſiæ inſimul fundamenta feliciſſimè poſita animadvertimus. Superſunt aliàs plures quoque reliquis Gentibus uſitati potus; hinc de potu ex melle, vel ſaccharo; item de camo, celiâ & ceriâ, *vid. L. ſi quis vinum.*

*num. 9. ff. de trit. vin. & ol. legat. Plin. lib. 22. cap. 25. & lib. 14. cap. 17. Columell. lib. 12. cap. 12. Hier. Benz. hiſtor. nov. orb. lib. 1. cap. 27. Diodor. Sicul. lib. 2. c. 76. Marc. Paul. Venet. Itiner. lib. 2. cap. 40. Lib. 3. c. 31. D. Phillpp. Lonicer. Theolog. Chronic. Turcic. lib. 3. cap. 2 p. m. 125.* De mulieribus Romanorum veterum natu majoribus, quæ bibebant loriolam, aut ſapum, aut defrutum, aut paſſum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant, *Vid. Varr. lib. 1. de Vit. Pop. Roman. A. Gellius lib. 10. Noct. Att. cap. 23.* Myrrhina, ſeu vinum myrrhatum, nec amarum erat neque inſuave, ſed perquam jucundum & gratum: ſic enim dictum, quod in vaſis myrrhinis ad ſaporem odoremque quærendum calidum poneretur: ea enim vaſa apud antiquos in magno erant pretio: quod cum vinum calidum in ea infunderetur, odorem ac ſaporem quendam mirificum ex illis contraheret, ex quoque cœteris gratiſſimum ſvaviſſimumque ad potum redderetur: *Vid. Cæſ. Baron. Annal. Eccleſiaſtic. tom. 1. ſub ann. Chr. 34. num. 95. p. m. 223. & ſeqq.* Apud Judæos olim ultimum ſubiturus ſupplicium propinabatur, *Idem n. 105. & alibi.* Hinc ſalvatori noſtro propinatum fuiſſe legimus, *Marc. 15. v. 23.* Et, quod inebriare minimè ſoleret, fœminis Romanis nequaquam prohibitum fuit, *Baron. d. l. n. 110. p. m. 228. Gell. cit. l. p. m. 334.* De Foca Arabum Sabaja Illyricorum, Collato, Juritheo & Cognidio *Cujac. lib. 24. Obſerv. cap. fin. Gregor. Magn. lib. 5. Epiſt. 38. Thom. Reineſ. Var. Lection. lib. 3. cap. 9.* De alio Frumentaco potu, compoſito vel ex avena, uti apud Moſchos atque Sarmatas; vel ex Oriza, uti apud Tartaros Dageſthanos, incolas Regionis Cathai, Inſulæ Zanzibar, aliosque; vel ex milio Turcico, quod quidam Maiz appellare ſolent, uti apud Braſilianos, *Vid. Adam. Olear.* Perſianiſche Reiſe-Beſchreibung / *Part. 3. Matth. Michov. Sarmat. lib. 2. cap. 3. Hier. Hiſtor. Nov. orb. lib. 1. cap. 27.* Porrò materiam poculorum ſubminiſtrarunt arborum etiam & fruticum fructus, cumprimis verò pyra & poma, eaque tam ſyl-

ſylveſtria, quàm hortenſia, *Plin. lib. 14. cap. 16.* quanquam etiam ex ficubus; tamarindis & myrti baccis; ex meſpilis, ſiliquis, ſorbis, cornis, moris, pineis; item ex fructibus Braſilianis arborum Acajabæ, Pacobete, & ex fructu Nana; ſimiliter in Nicaragua, Americæ provincia, ex fructu Cacao remedia ſitim reprimentia conficiantur, prouti fuſius hæc nos edocet *Meibom. de Cereviſ. cap. 18.* qui præterea *cap. 19* de potu in Inſulis Fortunatis ex arboribus; ex Palma Ingica in regno Malabar, & Calicuto; ex arbore in Regno Senegæ; ex arbore Thal in Inſula Seilan; ex arbore Hobus in Hiſpaniola quædam profert: quemadmodum pari ratione ibidem de potu illo Chinenſium The & Chia; Floridanorum Caſſinet; Braſilianorum hodiernorum ex radicibus, aipima, caxera, batata, beja & tepioja; Troglodytarum ex paliuri multus eſt: hinc ad Eundem, brevitatis ſtudio ductus, B.L. remiſſum pariter ac ablegatum volo. *Formam* Juris poculorum arbitror in ipſa actuali poculorum adhibitione conſiſtere; non ſolicitus jam, utrum modicè an immodicè hoc fiat; quoniam hoc partim in definitione cujusque ſubjecti poſitum; partim ſpeciebus poculorum licitis & illicitis proprium eſſe animadverto.

# CAPUT II.

## DIVISIONEM POCULORUM IN LICITA ET ILLICITA; ITEM LICITORUM DEFINITIONEM, ET CAUSAS EXHIBENS;

D*Iviſionem* horum poculorum multam multos pro multiplicitate proprii ingenii excogitaſſe patet; *Vid. Wahremund. ab Ehrenberg. in Tractat. de Fœderib. lib. 1. c. 2. n. 3.* qui decem pocula ponit, quorum quatuor ebrio porriguntur

(1.) ad ſitim (2.) ad lætitiam, (3.) ad voluptatem, (4.) ad ebrietatem. Ebrioſo ulterius (5,) ad iram, (6.) ad litigium, (7.) ad furorem, (8.) ad ſomnum, (9.) ad morbum, (10.) ad perpetuam inſaniam, *add. Georg. Gumpelzhaimer. de Exerc. Academic. partit. 5. pag. m. 422.* Hinc etiam ſex indicia temulentiæ obſervat *Philipp. Camerar. oper. ſucceſſiv. cent. 1. cap. 94. pag. m. 475.* quæ ſunt: alarum elatio, titubatio & tremor, delitium ſermonis, dolor capitis, dementia, ut tandem ſiderati bibaces intereant. Sed hæc pocula *Chriſtian. Matth. lib. 3. Syſtem. Ethic. diſputat. 4. p. m. 174.* ad tria reſtringit, ad poculum nimirum ſanitatis, hilaritatis, ac voluptatis. Quamvis hoc etiam faciat *Johann. Heinric. Alſted. Encyclopæd. lib. 35. Sect. 11. n. 106 & 107. p. m. 2304.* dum triplicem bibendi modum introducit (1.) medicum, qui ad neceſſitatem & ſanitatem refertur (2.) civilem, qui voluptatis & amicitiæ ergò ſuſcipitur (3.) illiberalem, ſervilem & belluinum. Hæc veſtigia ſequitur *Steph. n. Guazz. in Conviv. Caſalin. diſſertat. de Converſat. Civil. adject. p. m. 493.* qui tamen à tribus uvarum generibus, quas vitem proferre dixit, pocula diſtingvit in lætitiæ, ebrietatis & doloris: mox iſtum numerum ampliat, & ſitis, voluptatis, tentationis atque inſaniæ ſubſtituit: Imò denique poculorum numerum ad novenarium extendit, dum primum poculum ſitis eſſe aſſerit, alterum voluptatis, tertium tentationis, quartum ebrietatis, quintum choleræ, ſextum litis, ſeptimum furoris, octavum ſomni, & nonum infirmitatis. Nos jam allegatas diſtributiones parum curantes impræſentiarum pocula diſtingvimus in licita & illicita. *Licita* dicimus, quæ fiunt ſecundum mediocritatem ratione circumſriptam. *Cauſam eorum efficientem* hominem ſtatuimus, qui partim ſecundum ſobrietatis leges ſibi ipſi jus dictitat; partim etiam in conviviis aliisque conventibus honeſtis cuilibet pro liberrima ſua voluntate vicino propinare hauſtum concedit, & per conſequens nemini per tædioſe iteratum bibere moleſtiam faces-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0009-4

ceſſit. Meritò igitur laudandus venit Rex Alphonſus, qui interrogatus, quid ſibi vellet, quod vinum aquâ dilueret, contra omnium Regum & Aulicorum morem, reſpondit: ne ebrius fiam: non enim ignoro, quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloriæ obfuerit, *Panorm. lib. 2. de dict. & fact. Reg. Alphonſ.* Innuit etiam hæc *Johann. Barclaj. Euphorm. Satyr. part. 2. p. m. 224.* dum à contrario in falsa convivii Trifartiti deſcriptione neceſſarium huncce ſobrietatis uſum oſtendit. *Cauſa finalis eſt*, ut incomporabile illud firmatæ ſanitatis commodum facilius ſartum tectum conſervetur, ſimiliter concepta convivarum lætitia convenienter augeatur, ac denique aliis omninò virulentis vitiis, ebrietatem ut plurimum indubitatò conſequentibus, rixis videlicet, execrationibus, vociferationibus, laſciviis, &c. (certiſſimis ebrietatis prædicto Alphonſo teſte filiis) omnis ſubrependi occaſio præripiatur. *Effectum* qui utriusque hujus cauſæ unus idemque eſt, pro nunc apppellitamus converſationem probè diſpoſitam hominis intra ſeipſum. Optimè hoc cognovit Leotychidas, qui *notante Plutarcho in ſuis Apophtegm. Lacon, n. 97. p. m. 332.* percontanti cuidam, quamobrem Spartiatæ parce biberent? Reſpondit: Ne alii de nobis conſultent, ſed nos pro aliis, *Herman. Herm. Conſiliar. Archi-Ep. Salisburg. Faſcic. Jur. Pub. cap. 12. n. 11. p. m. 246. Materiæ ex qua* Multiplicitatem in capite primo jam oſtendi. *Materiam in qua* ſive ſubjectum æſtimo hominem ſuppeditare, quatenus nimirum ipſi poculorum conceſſio debet applicari. *Materiam circa quam*, ſive objectum iterum hominem volo, veruntamen in quantum ipſius ſanitas juxtim & probè compoſita per potum conſtitutio atque hilaritas reſpicitur. *Formam* repræſentat actualis illa circa pocula probè diſponendi ratio, quæ ſanitatis atque ſufficientiæ regulis ſemper circumſcribi debet: quæ cuncta uberiori cum Metaphyſicorum, tum Moraliſtarum contemplatione lubentes volentes derelinquimus.

# Caput III.

## POCULORUM LICITORUM SPECIEM PRIMAM, VIDELICET POCULUM SANITATIS, OSTENDENS.

Poſitâ generali poculorum licitorum contemplatione, ceceſſum eſt, jubente methodo, adſumamus ſpecialem, videndum quippe quo modo uno vel altero tempore jus poculorum apprime convenientem inter mortales locum ſibi vindicare posſit. Primo autem ſeſe offert poculum ſanitatis ſive necesſitatis, utpote nulli hominum per naturam evitabile. Quamvis etenim *Meibom. cap.* 18. *n.* 25. quorundam locorum in Lybia mentionem faciat, ubi incolæ ob penuriam aquæ potu deſtituantur, attamen provida natura hancce carentiam ſuo quoque motu reſarcire voluit, dum herbis quibusdam ac radicibus loco potus utuntur, nec idcircò potu indigent, Lothophagi vocati. Homo ſiquidem à Deo corporalis creatura creatus neceſſario illis rebus, quæ ad ſuſtentandum corpus conducunt indiguit: hinc igitur ſtatim non tantummodò uſumfructum in terra & rebus ad cibum ac potum & alias necesſitates aptis obtinuit; ſed etiam ad evitandam rerum communionem, dominium earundem primis temporibus, ut ut diſſentit *Hug. Grot. de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 2. eſt conſecutus, prouti pateſcit *ex Gen. c.* 1. *v.* 26. *& ſeqq. c.* 2. *v.* 16. *&* 19. *c.* 9. *verſ.* 2. *& ſeqq. Ludov. Molin. Tom.* 1. *tr.* 2. *Diſp.* 18. *p.* ſi. *col.* 92. *& ſeq. Dn. Strauch. diſſert. de Imp. Mar. c.* 1. *Th.* 8. *& ſeq.* Mundus namque totus, *aſſerente Ariſtot.* 1. *polit.* 5. & omnia quibus mundus conſtat, quæque ex ſeſe generat, ad ſolius hominis utilitatem atque commodum accommo-

modata, ejusque cauſa cuncta ſacta ſunt atque parata, add. *Joh. de Dicaſtill. de Juſt. & Jur. lib. 2. tract. 2. Diſp. 1. dub. 8. n. 85. p. m.* 142. Ho cinſuper elegantiſſime atque inſimul fuſiſſimè innuit M. *Tull. Cicer. lib. 2. de Nat. Deor.* cujus verba propter ſingularem eorum emphaſin hic adſcribere non piguit: Nos, inquit, veſcimur beſtiis & terrenis & aquatilibus, & volantibus, partim capiendo, partim alendo; nos efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipſis adfert vim & celeritatem; nos onera quibusdam beſtiis, nos juga imponimus, nos Elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad utilitatem noſtram abutimur, nos è terræ cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros neceſſariam, nos æris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus, & ad uſum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omnique materiâ, & cultâ & ſylveſtri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibitâ, & ad mitigandum cibum utimur, partim ad ædificandum, ut tectis ſepti frigora caloresque pellamus; magnes verò uſus adfert ad navigia facienda, quorum curſibus ſuppeditantur omnes undique ad vitam copiæ: Quasque res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus: maris atque ventorum, propter nauticarum rerum ſcientiam plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis eſt in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur, noſtri ſunt amnes, noſtri lacus, nos fruges ſerimus, nos arbores, nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus, nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus, noſtris denique manibus in rerum natura quaſi alteram naturam efficere conamur, &c. Quæ itaque cuncta, cum juſtè ſeſe habeant, & certum ſit, Deum largiſſimum homines jamjam formatos nequaquam voluiſſe egere illis, quæ ad vitam continuandam conducere poſſunt; ſed potius quicquid utile mortalibus ac ſalutare ullo modo proſpexit, id totum una cum omnibus, quæ mundus

exhibet, ipſis præparaſſe, *Matt. Dreſſer. Iſag. Hiſtoric. part. 1. millen. 1. p. m. 8. Hug. de Roy, de eo quod juſtum. lib. 1. t. 5. §. 1. p. m. 97.* Præterea qvum in propatulo ſimiliter apud omnes exiſtat, homines tanquam corporeas & animatas creaturas, (quarum anima, quippe ſpiritus, in ſicco habitare non poteſt, ſed in ſangvine, *c. 9. Moſes. 32. q. 2. Auguſtin. in lib. quæſt. vet. & nov. teſtam. c. 23.*) potum atque humiditatem ad ſui ſuſtentationem omnimodò requirere: Hinc ſanè infallibiliter ſequitur, illud, quod noſtri causâ conditur, quod nobis conceſſum, & ſine quo vivere non poſſumus (quemadmodum de poculo ſanitatis hæc cuncta præſupponenda ſunt) neceſſariò licitum, atque ſingulariter nobis conveniens ſtatuendum eſſe. Et hoc etiam voluiſſe *Joh. Accurſ. in L. ſi minor. 34. verb. litis conteſtatæ. lit. g. p. m. 571.* multi ſtatuunt, dum eum, qui vinum modicè & ad ſanitatem biberit, pecuniam ad bonos uſus applicuiſſe aſſeruit.

# CAPUT IV.

## POCULUM HILARITATIS, IN SALUTEM ALTERIUS, ET AMICITIÆ CAUSA SUSCEPTUM DECLARANS.

SEd miſſo poculo ſanitatis ad ſecundum poculum licitum accedimus, quod alias vocari ſolet poculum lætitiæ ac hilaritatis: Hoc autem (quatenus partim in converſatione, partim in vita ſolitaria adhibetur) tantum abeſt, ut jure divino & morali, vel gentium & ſtatutario abrogatum; ut potius tanquam ad ſocietatem hominum naturalem conſervandam, pariter ac ſanitatem confirmandam maximè conducens ab ipſo quoque naturæ Autore

Deo expreſsè appropatum fuerit. Quod ut altius repetatur, Ariſt. placitum illud dicimus: hominem conſtitui ex corpore (i. mole terrena, quæ ſpiritus continet & humores,) & animo, cui duo inſunt, ſenſus & ratio: ex quibus voluptatis honeſtæ vis profluit, ſi benè ſint temperata. Homo ſiquidem ſolus (ut de converſatione cum aliis loquamur) ad ſocietatem colendam aptus naſcitur (utcunque id neget *Thom. Hobb. in element. de civit. c. 1. §. 1. & ſeqq.*) adeoque appetitus ſocietatis, id eſt communitatis, non qualiscunque, ſed tranquillæ, & pro ſui intellectus modo ordinatæ, cum his quæ ſui ſunt generis, hominis proprius æſtimatur, *Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. in proleg. part. 2. Geofr. Linocer. Vivariens. Mytholog. Muſar. lib. cap. de Thalia 4.* Ex hoc igitur ſereno fonte fluit, tanquam individua ſocietatis comes, amicitia infucata, *Cic. in Lal.* jam verò ad amicabilem ſocietatem, cujus ſtimulos nobis inſitos ſentimus, non leve momentum præbent converſationes, atque ex his compoſita aliquando convivia honeſtorum virorum, quæ largiorem paulo poculorum uſum, animum atque cogitationes, imò ſermones exhilarantem non facilè reſpuunt; præſertim dum melancholici, aliique triſtes interfuerint; Horum quippe cerebrum inſtar calcis vivæ eſt, quam ſi manu tractes, contactus frigidam eam ſiccamque eſſe docet: ſed ſi quocunque liquore paulum adſpergas, calor, qui inde excitatur, ne ferri quidem poteſt, *Vid. Jan. Evart. Scrutin. Ingenior. interpr. Æſcach. maj. è ling. Caſtellan in latin. transl. c. 16. circ. fin. p. m.* 516. His adde, (ut vitam inſimul ſolitariam diſcutiamus) quod ſupremus mundi Conditor non ad triſtitiam certè, ſed ad lætitiam potius primum hominem creaverit, ad quam excitandam in ſubjecto præprimis curis, uti monitum, turbido, ut & anxietatum jugo depreſſo omnino hiſce poculorum generibus licitè utimur, *arg. Proverb. 31. verſ. 6.* Date ſiceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro ſunt animo, ut bibant & obliviſcantur egeſtatis, & doloris ſui non recor-

recordentur amplius. Ubi rectisſimè per ſiceram, cum vino opponatur, omnis portio intelligitur, quæ in ebriare extra vinum poteſt; ſive illa, quæ frumento conficitur, ſive pomorum ſucco, aut cum favi decoqvuntur in dulcem & barbatam portionem, aut palmularum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus pingvior aqua coloratur, *Meibom. c. 3. n. 13. & ſeqq.* His adſtipulatur *Syr. cap. 32, verſ. 32. & ſeqq.* Et Solon quoque Arceſilaus & Cato vino laxaſſe animum ſcribuntur, curis publicis fatigatum: At facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honeſtum, quàm viros illos turpes, inquit *Senec. de Tranquill. anim. c. 15. add. Gumpelzhaim. de Exerc. Acad. partit. 5. n. 9. p. m. 430.* Etenim quis neſcit membra hinc refoveri, inſtaurari humores, ſpiritum refici, ac rationem expergefieri quodammodò? hinc à loboribus quieſcimus, curas laxamus & ſuum ingenio efficitur pabulum. Tolle convivantium hilaritatem, jam ut plurimum evaneſcet amoris fomes, amicitiæ condimentum, aut vitæ ſolatium, *vid. Geofr. Tinocer. loc. cit.* Quod ſi tamen prædictam poculorum adhibitionem quis in largiorem inter convivas frequentiam erumpere velle animadvertat, pariter ac totum hocce negotium ebrietatem denique aliquam minitari poſſe certus ſit, utique ſalvam prætendendo conſtitutionem ſe excuſare quacunque ratione, ut & actu huic ſe ſubducere; vel ſi inſtantius urgeatur, vinum, cereviſiam, aliosque liquores potius modis omnibus occultare atque clanculum ſeponere; quid? in maximo neceſſitatis eventu ſimulando magis in terram effundere, quàm ſanitatem juxtim & ſobriam diætam corrumpere, in ſua conſcientia convictus adigitur atque tenetur. Ut proinde non videam, quam ob rem vero obloqui cenſeantur *Montaneſ. lib. 2. Critic. Chriſtian. c. 5. & alibi paſſim. Dn. Chriſtoph. Philipp. Richter. in Quæſt. Miſcell. 37. p. m. 139. & Sagittar. Diſp. 3. quæſt. Illuſtr.* 8. quoniam hoc, uti reor, ſenſu explicati, mortalitati nequicquam contradicere videntur. Plura ratione hujus poculi adjicere-

non

non habeo, ſed totum hocce negotium graphicis illis *Senec. de Tranquill. anim. circ. fin.* verbis compono: Aliquando, inquit, vectatio, iterque & mutata regio vigorem dabunt, convictusque & largior potio: Nonnunquam & usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, ſed ut deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum movet; & ut morbis quibusdam, ita triſtitiæ medetur? Liberque non ob licentiam lingvæ dictus eſt inventor vini, ſed quia liberat ſervitio curarum animum, & aſſerit, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini ſalubris moderatio eſt. Breviter aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, ut tibi curas eripiat; ſi qua eſt inter utrumque nocet, *vid. Ovid. l. 2. de Remed. amor. in fin.* Tertium poculis licitis annumerandum eſt modica in ſalutem alterius & ſimplex libatio atque potatio, quam etiam apud Græcos & Romanos in uſu fuiſſe atteſtatus *Taubm. in Plat. PERS. act. 5. Scen. 1. adv. benè mihi.* Quos non tantum in honorem Deorum; ſed etiam Principum beneficorum, præceptorum & amicorum bibiſſe refert. Nec poſſumus ſimiliter hanc actionem in ſe conſideratam tanquam moraliter turpem rejicere; quoniam hocce poculum nihil aliud, quam virtuosè moderatam & cum voto proſperitatis conjunctam adbibitionem in ſe continet. Sicuti igitur per ſe poculum honeſtum ſanitatis & lætitiæ bibere vitium non eſt, uti non ita multo ante demonſtratum fuit; multò minus vitium erit, votum omnimodæ ſalutis pariter ac benevolentiæ adjicere, atq; ſub hac neutiquam culpanda conſvetudine vicino propinare. Cũ etenim perſonæ objectũ quod intendimus, tanquam bonum placeat motibus appetit9 ſenſitivi concupiſcentis, adeò, ut inſimul in idem intenſe feramur, neceſſariò vel amor, vel deſideriũ exoritur, quæ duo convenientiſſimè cũ bonis ominationibus, tanquã piiſſimi affectûs ſignis extrinſecis, ſubſiſtere poſſunt; idq; magis, ſi mot9 atq; complacentia voluntatis accedant, ita ut magni aliquem æſtimemus, quod dilectionis ejusque ſpeciei charitatis proprium eſt. Probè hæc requiſita legitimæ ſa-

luti potationis collegit *Andr. Kesler. Theolog. Caſ. Conſcient. cap. 62. p. m. 370. in Quæſt.* Obs recht ſey/ daß man auf anderer Leute Geſundheit einen Trunck geſchehen läſſet? *verb.* Bey dieſer Frage muß nothwendig ein Unterſcheid in acht genommen werden der Perſonen / Zeit / Quantität / Ziel und Gebräuchen. (1.) Daß feine züchtige / Chriſtliche gute Freunde (2.) bey guter Beſcheidenheit (3.) poculum lætitiæ, ein fröliches Trüncklein (4.) mit erbaren Gebräuchen auf ehrlicher Leute Geſundheit / gutes Glück und Wohlſtand / beſonders derer / die aus tapffern Gemüth wichtige Sachen anfangen und handeln zu Gottes Ehre/ auch der Chriſtlichen Kirchen Wohlfart/ und dem gemeinen Nutzen zum beſten / laſſen herumb gehen. (5.) Dergeſtalt / daß durch einen ſolchen Trunck ehrlicher Leute in guten gedacht werde / auch derſelbe ein Zeichen ſey treuer Hertzen und guter Affection, das läßt man billich als ein Mittel-Werck / welches unverboten / und an ihm ſelbſt unſträflich / paſſiren. Nolumus tamen hoc in loco ſimul introductum aut defenſum habere abuſum, quin potius ejusdem abominationem ad ſcholam poculorum illicitorum ſeponimus. Progredimur ad quartum nunc poculum, amicitiæ, puta, atque, ut loqui amant, fraternitatis: quod, ſi juxta leges honeſtate circumſeptas, & cum perſonis ante cognitis ac moribus probatis fuerit ſuſceptum, non ſanè in puncto juris accuſare turpitudinis poſſumus. Nec dubium eſt, illam amicitiam in actu quippe hilaritatis, non ebrietatis contractam, ratam atque confirmatam ſubſiſtere poſſe. Poſitis enim omnibus ad veram & perfectam amicitiam requiſitis, quo minus vera & perfecta ſit, roburque ſuum habeat pocula obſtare non poſſunt, *vid. Anton. Itter. Synops. Philoſ. Moral. lib. 3. cap. 16. quæſt. 2. & ſeqq. Wendelin. lib. 1. Philoſ. moral. cap. 26. q. 28. p. m. 860. & ſeqq. Andr. Prückner. Manual. Qq. Theol. cent. 3. q. 21. p. m. 114.* Contra levitatis haud obſcuræ argumentum exhibet, amicitiam inter pocula aliis

in-

incognitis quos fortè primum vidimus ; & quorum virtus nondum nobis eſt perſpecta , vel unius, vini hauſtu mercandam, venum protrudere. Cum ſæpè, quem Theſeum aut Proclum, Pyladem & Oreſtem putaſſes, ipſo Catilina ſit moleſtior: hinc igitur nulla profectò alia, quàm vinaria, ceraviſiaria & uno verbo, vitrea amicitia naſci poteſt. Optimè hoc proprio teſtimonio nobis confirmavit *Philipp. Camerar. Oper. ſucceſſiv. Centur.* 1. *cap.* 94. *p.* 476. Nonnunquam, inquiens, fit, ut inter potandum ſimus amiciſſimi & humaniſſimi : at manè concocto vino, illa humanitas & conjunctio, quæ arctiſſima videbatur, plerumque ſimul cum vino evaneſcit, vel potius ita aceſcit, ut nonnunquam in ferinam rabiem vertatur. Hoc ſemel atque iterum obſervavi in in equitib. noſtratibus, non procul ab Argentorato , aliis ad Regem Galliæ, aliis ad Principem Condæum militatum deſcendentibus, & veluti ſub Præcone, ut Plutarchus de equitibus Romanis, ait, proſtantibus , atque iis, qui plus dediſſent, ſe adjungentibus. Hi ubi in iisdem diverſoriis fortè conveniſſent, & vino incaluiſſent; fratres, conſangvinei, & affines inter ſe erant, paulò poſt in bello ſe mutuò interfecturi.

# CAPUT V.

## POCULUM INJURIANTI PROPINATUM EXAMINANS.

QVinta poculorum licitorum jam ſpecies ſequitur, nimirum, quando injuriatus cũ injuriante, ſalvo tamen injuriarũ proceſſu, bibit, atq; officii forſitan ratione, cõverſatur, aut dum decenter à ſuperioribus ad imum in ſalutem alterius tertii, probè merentis, propinatur, ſuo ſe lædenti poculum, ne totum convivium lædatur, offerre cogitur. Quoniam rancor tantum & vindicta privata ſepoſita cenſentur , quod quemlibet Chriſtianum decet, *Vid. Grot. de*

*Jur. Bell. & Pac. lib. 1. c. 2. n. 8. p. m. 26. & ſeqq.* non autem ipſa injuriarum actio per magiſtratum decidenda, vel id, quod legibus juſtitiæ tanquam nobis detractum, debet reſtitui. *Dn. Strauch. Diſſert. 19. Th. 15.* Quanquam etenim per rerum naturam ferè videatur impoſſibile, ut vel atrociſſimæ & maximè horrendæ injuriæ ſemel rite per honeſtatē morum, vitæque probitatem circumvallata bonæ famæ fundamenta concutere pariter ac evertere queant; præprimis qvum ex ſententia *Ovid. Naſ. lib. 4. Faſtor.* mens recti conſcia famæ mendacia feliciſſimè rideat: quia tamen, (verba ſunt *Dn. Georg. Adam. Struv. Syntagm. Jur. Civil. Ex.* 48. *Th. 60. p. m. 916.*) ob internum illud & nobis cohærens fundamentum debeamus externo ab aliis honore, quem bonorum externorum maximum eſſe dicit *Ariſtot. 4. Ethic.* 7. affici: ideò qui injuriam in aliquem profert, non tribuit ipſi, quod ei debebat; qui verò quod debet, non tribuit, is damnum aliquod infert. Quod damnum, uti contrariis honori verbis datur; ita illis revocatis, vel honore debito rurſus exhibito reſarcitur. Hoc ipſum quoque confirmat *Bened. Carpzov. prax. Criminal. part. 2. quæſt. 94. n. 1. & ſeqq. p. m. 377. in verb.* Cum furto & falſo, quantum ad gravitatem delicti, pugnare quoque poſſet crimen injuriarum. Quod æque atrox eſſe videtur, tantoque atrocius, quanto gravior ſolet eſſe viris honeſtis jactura honoris & exiſtimationis, quam non bonis, ſed & vitæ & valetudini præferunt, ut loquitur *Dn. Auguſtus Elector. Saxoniæ in pr. Conſt. 42. part.* Hæc cum lædatur verbis injurioſis, non minus atque furto patrimonium, (unde vulgò injurians fur honoris, ein Ehren-Dieb/ appellitari ſolet) politico ſanè homini ignominioſum eſſet, inultam relinquere injuriam, quocunque etiam modo fuerit illata. Aliud interim dicendum eſt, ſi injuriatus, proprio & ſpontaneo motu, non ex præallegato honeſtatis poſtulato, cum injuriante biberit, luſerit, comederit, (& quidem antequam actio in judicium fuerit deducta. *Herman. Vultej. ad §. fin. Inſtit. de Injur.*

Jo-

*Joſeph. Maſcard. de probation. concluſ.* 904. *n.* 25. *vol.* 2. *Panormitan. ad c.* 7. *olim. X. de injur. n.* 6.) ut indubitata exinde amicitia atque certiſſima reconciliatio poſſit colligi, *Bened. Carpzov. Prax. Criminal. part.* 7. *q.* 97. *n.* 50. *Matth. Weſenb.* π. *ad ff. de iujur. n.* 13. Cum hic concordat *Gloſſ. Germanic. ad artic.* 31. *lib.* 3. Land = Recht. *pag. mihi* 1369. *num.* 7. *verb.* Dann dergleichen mag einer einem erlaſſen und vergeben/ alſo daß ers ihme zugeſaget/ oder nachmahls mit ihme ſpielet und trincket/ und anderer freundlicher Gebärde und Gemeinſchafft gegen ihm pfleget/ wie er gegen einem zu thun pfleget/ mit dem er Freundſchafft hat/ darum ob es einer dem andern zwiſchen beyden ſelbſt hätte verziehen/ oder ſolches in einem Jahr nicht geklaget/u. er oder iemand anders darüber nachmals klagen wolte/ſoll man die Klage keines weges hören. Utrum autem hoc aſſertum ab iis, qui *Bened. Carpzov. l. c. p. m.* 412. ſecuti ſunt, probari poſſit, *ex. c.* 4. *nec aliqua.* 27. *q.* 1. Satis equidem dubito: quoniam citatus canon ne verbulum quidem de amica atque reconciliata præſumtione converſatione inter injuriantem & injuriatum; ſed potius de turpi & clandeſtino amore ac congreſſu monachi atque monachæ ſermonem continet. Cæterum quæſtionis eſt arduioris, an ſemel injuriatus ex inevitabili converſationis neceſſitate cum altero injuriante bibens, quoque poſtea actionem criminalem adverſus eundem inſtituere poſſit? ſanè non pauci reperiuntur, qui citra malevolum injuriati adverſus injuriantem affectum hanc actionem contingere vix poſſe, adeoque hunc, qui eâ utitur ſecundum principia actionum humanarum examinatum, aliquatenus improbum dicendum eſſe ſtatuunt. Argumentum eorũ in formam redactum ſyllogiſticâ ita præter propter ſeſe habebit: quicunque inſtituit actionem, quæ ſine malevolo affectu contingere vix poteſt, ille, ſecundum principia actionum humanarum examinatus, poteſt aliquatenus improbus dici: Atqui, qui agit actione injuriarum criminali, is inſti-

ſtituit actionem, quæ ſine malevolo affectu contingere vix poteſt: Ergo qui agit actione injuriarum criminali, ille, ſecundum principia actionum humanarum examinatus, poteſt aliquatenus improbus dici. Major propoſitio videtur eſſe indubia: Minor probatur ex eo, quod actio injuriarum criminalis in vindictam primariò competat. *Vid. B. Hahn. in not. ad Weſenbec. de injur. n. 13. verb. quam criminalem.* Verum enim verò cum etiam inter prædictos diſſentientes diſpalleſcat injuriatum amico inſimul animo ſolius famæ ablatæ recuperandæ gratiâ actionem in alium movere poſſe; idcirco præſuppoſito hoc negamus minorem argumenti propotionem. Falſum enim eſt, ethicum injuriatum, atque ob id criminaliter agentem in animo habere affectum malevolum, ſeſe, præviâ licet ſententiâ judicis, vindicandi; cum potius intendat, ut quod ſibi contra fas atque æquitatem illatum eſt malum, ne in ulterius atque deſperatum magis Reipublicæ detrimentum protrahatur, modis omnibus retundatur æque ac à magiſtratu corrigatur. Concedimus equidem lubenter omnem judicialem perſecutionem injuriæ pro ratione diſpoſiti vitiosè ſubjecti ſemper omni peccato haud carere: quod ipſum inſuper innuit Chriſtus *Matth. 5.* ubi corrigit Judæos, notante *Dn. Caſp. Ziegler. in commentar. ad §. 8. lib. 1. cap. 2. Hug. Grot. p. m. 91. verb. ne arceri quidem,* qui jus talionis à privato quovis non tantum; ſed & promiſcuè ex propria iracundia atque culpanda vindicta per magiſtratum exerceri poſſe putabant; quod negat Chriſtus, non autem prohibet omninò ne ad judicem res deferatur, niſi fiat, utque jam dictum, judicialis perſecutio, animo vindictæ cupido, virulento, & propter conceptum odium æſtuante. At exinde non ſtatim ſequitur: Ergò actio injuriarum criminalis ſine malevolo affectu contingere non poteſt, præſertim in eo, qui omnes Chriſtianæ moralitatis terminos probè & juxta amuſſim obſervat. His adde, quod non per pœnæ inflictionem, ſed potius per palinodiam, vel

quæ-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0021-7

aliam declarationem judicialem famæ reſtitutio ab injuriato quæratur: qvum illa etiamſi remiſſio per pocula parti fiat, *Angel. Arabin. in tract. malef. verb. comparent. dicti inquiſiti. n. 23. Jacob. de Bellov. in pr. cr. de Injur. n. 17. & 32.* intereſſe publicum; hæc reſtaurationem privatam detractæ bonæ exiſtimationis perſequatur. Clarius hæc reperiuntur *apud Carpz. l. c. quæſt. 94. n. 33. p. m. 381. verb.* hoc caſu unica pœna haud ſufficit, nec utraque ad eundem effectum tendit: arbitraria ſiquidem pœna intereſſe publicum magiſtratus reſpicit; palinodia verò, ſi propriè pœna appellanda eſt, privatum intereſſe offenſæ partis, exiſtimationem ſcilicet &famam concernit: utramque igitur ſubſiſtere atque concurrere mirum haud eſt. Nec majorem præterea præpoſitionem principalis diſſentientium argumenti veram eſſe patet. Non enim ſtatim contra principia actionum humanarum peccat, qui id agendum aſſumit, quod apud pleroſque in deteriorem adhibetur partem; ſicut lippis & tonſoribus hoc notum arbitramur. Affine aliàs hinc poculo injurianti propinato conſtituunt aulici quidam inter ſe diſſidentes: quod ſi forte princeps in orbem ſeu à primo ad ultimum bibere juſſerit: tunc quippe ſolent poculum cum proteſtatione accipere, magis conveniens tempus, ſimulq; commodiorem graviter lædendi occaſionem expectantes; quod in communi, more aulico bibere dicitur ſive auff Hoff-Recht trincken. Sed huncce morem, utut ob fictam honeſtatis rationem quidam obſervandum cenſeant, rectiſſimè improbitatis arguit *Georg. Gumbelzhaim. de Exercit. Academic. partit. 5. n. 12. in fin. p. m. 434.* Non enim lege morali edocemur vindictam privatam, ne quidem in judiciis publicis, ut ſupra monitum, nobis reſervare, adeoq; falſo adverſus alterum, incandidoque potu uti; ſed multo magis jure divino adſtringimur, inimicis noſtris, licet aſperrimis, ſalvâ eorum, quæ nobis per injurias ablata ſunt, vindicatione judiciali, optima quæque velle, adeò ut rancor ubiq; animi, quam fieri poterit, longiſſimè abſit.

CA-

# CAPUT VI.

## DE POCULIS IMMODERATIS IN GENERE DISSERENS.

EXplicatis hactenus poculis quibusdam licitis, *ad illicita* ſimiliter acceſſum facimus, eaque iterum vel in *immoderata*, vel in *venenata* dividimus. *Immoderata* dicimus, ſi fortè quidam tam in *defectu*, quàm in *exceſſu* contra morales ſobrietatis regulas peccant. Quamvis autem atteſtante *Anton. Itter. Synops. Philoſoph. Moral. 3. lib. cap. 3.t.ἐκθεσ. §. 9. in fin. p. m.* 108. in defectu qui peccent, vix ullos hodiè, niſi avariſſimos, deprehendas; inventi tamen ſunt olim Encratitæ, à temperantia & continentia, quam profitebantur, ſic appellati, vinum omne, tanquam rem abominabilem deteſtantes: quos ſecuti tum Manichæi circa annum Chriſti 280. (uti eſt *ap. Auguſtin. lib. 21. 16. de morib. Manichæor.*) Vinum fel eſſe principum tenebrarum garrientes; tum Severiani apud *Epiphan. hæreſ.* 45. qui vitem è ſemine diaboli in ſpecie ſerpentis germinaſſe dicebant, cujus acini velut veneni guttæ ſint; hinc vinum turbare mentem, & ad Venerem incitare: & ideò à Vino penitus abſtinebant; *Vid. Leonhard. Lauredan. Venet. Sylv. rer. Moral. ſ. prædicabil. ſub tit. ebrietas. col. 2. n. 1. p. m. 56.* *Exceſſum* poculorum deſcribimus, quod ſit inordinatus bibacitatis appetitus, vel proprio motu, vel altero inſtiganre, conciliatus: videlicet, quando aliquis contra omnem animalium fermè naturam, vino, cereviſiâ, mulſo, vel aliâ materiâ ebrietatem cauſante, adeò ſeſe ingurgitat, ut omnis nonnunquam rationis, imò manuum pariter ac pedum officium amittat. Ebrietatem quidem non ſimpliciter damnandam judicat *Paul. Laymann. Theolog. Moral. lib. 3. ſect. 4. n. 5. p. m.* 242. Si enim (verba ejus ſunt,) ob finem bonum & honeſtum, v. g. ſanitatis recuperationem, hauſtus vini usque ad ebrietatem,

tatem, prudentis medici judicio neceſſarius ſit, tunc non abſurdum judicat recta ratio, ad breve tempus rationis uſu deſtitui, ut recuperatâ ſanitate munera rationis melius præſtentur, quemadmodum etiam dormientibus contingit, quare culpâ vacat talis voluntaria ebrietas, teſte *Sylveſtr. verb. ebrietas q. 3. Cajetan. ſup. q. 150. a. 2. & in Summ. verb. ebrietas. Tolet. cap. 60.* Ex qua doctrina non improbabiliter *Leſſ. de J. & J. l. 4. c. 3. dub.* 4. infert, licitum eſſe inebriari mortis vitandæ causâ, quam tibi aliquis per violentiam minatur, niſi propinanti reſpondeas, modò ſcandalum abſit, neque cedat in contemptum virtutis temperantiæ à Chriſtianis ſervandæ. Probatur: Si enim ad redimendam vitam à tyranno fas eſt ſibi ipſi manum, vel pedem amputare, cur non etiam rationis uſum ad breve tempus ſibi adimere? Repugnat tamen *Cajetan. 2. 2. q. 150. a. 2. ad 3.* imò & *S. Auguſtin. ſerm. 232.* Etiamſi ad hoc veniretur, innuit, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed *Leſſius* reſpondet, *Auguſtinum* id dixiſſe propter ea, quæ per accidens conjuncta eſſe ſoleant. Eadem ferè ſunt, quæ ipſe *Leſſ. l. c. n. 13. p. m. 619* cum *Navarr. c. 23. n. 219.* profert: Si in ſubito peſtis terrore, aliis remediis æque commodè non ſuppetentibus, magnus hauſtus vini generoſi ſumatur, vel adverſus venenum frigidum (ut opium, ſolanum, cicutam, hyoſcyamum) aut contra cantharides magna vini copia habenda, ex qua rationis uſus ſit impediendus; præſcribatur, non eſt ebrietas. Non enim eſt exceſſus reſpectu talis ſubjecti & ad talem finem: neque cauſa delectationis guſtus & tactus palati vel oſophagi ſumitur: unde non repugnat temperantiæ quæ circa tales delectationes verſatur. Addatur porrò hiſce allegatis *Georg. Gumpelzaim. l. c. n. 10. p. m. 431.* ubi datur, inquit ille, voluptas bona & ebrietas non ſemper eſt mala, utpote hilaritas eſt janua ebrietatis, & lubricus gradus eſt ab hilaritate ad ebrietatem, quæ in bonum quoque virum cadere



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0024-3

dere poteſt: nam facilè ſibi perſvaderi patietur is, qui cogitat accidere poſſe, ut quis urgente magna ſiti, plauſibili perſvadente & amicâ converſatione, vel etiam per imprudentiam, nec ex propoſito & inſtituto, nec ingluvie; ſerenandæ gratia mentis, non turbandæ, vino ſuperatur præter morem hauſto, *Bernegger. in dodec.* 8. *Germ. Tacit. q.* 1. Ergò culpâ vacat, vel certe à graviori eſt aliena illa ebrietas, erroribusque potius, quam vitiis annumeranda: prout in Noacho apparet, qui primus ex uvis exprimendi vini inventor, ad unius horæ ebrietatem nudavit femora ſua, quæ per ſexcentos annos contexerat, ut loquitur *Hieronym. in Epiſt. ad Ocean.* Sed forſan non atrociori peccato, cum & τὸ πόσον, quantum ſit bibendum, & τὸ τρόπον, modum, quo ſumendum vinum, ignorarit. Et de ejusmodi liberaliore, honeſto tamen potu accipio illud *Geneſ.* 43. *verſ ult.* quod de fratribus Joſephi dicitur, bibiſſe & inebriatos fuiſſe cum eo, & *Johan.* 2. *verſ.* 10. cum inebriati fuerint. Hodiè vocant ein Chriſtliches Trüncklein / oder Chriſtliches Räuſchlein. Nobis ratione hujus negotii potius τὸ ἐπέχειν placet, quapropter univerſalem noſtram hâc de re ἐπίκρισιν conflictui publico reſervamus: ſemper interim eo attendentes, ne per licentiam unius vel alterius exorbitationis ipſisſimæ Legum moralitati vim vel minimam inferamus, quod de facili per imitationem prædictorum exemplorum contingere nemo non poſſe videt. Caveat quilibet vir bonus ebrietatem cane pejus & angue, tum maximè eam, quam ex prælectione quadam ſibi conciliant mortales; & inſimul cavebit effectus illos, quos humoribus ſuperata mens absque judicio protrudit, quibusque inſimul mediantibus tàm proximorum, quam propria non rarò vita variam ſubire aleam cogitur. Cæterum deteſtandum hoc ebrietatis vitium adeò penè altas undique radices egit, ut ſuâ inter noſtrates magnitudine non laborare tantum; ſed & in virtutem ferè abiiſſe ob impunitatem dicatur. Hinc igitur iterum atque ſæpiùs civium

um ædes compotationibus ubique ſtrenuis ſcatent; hinc publici quoque conventus poculis ſubinde repletis gaudent; hinc judicium denique ſubſellia vitris omninò cumularis turgent liberaliſſimè. Cum tamen quilibet cordatus Magiſtratus, quid? omnis certè ſobrietatis amans mortalis nocte dieque mente revolvere debeat, ebrietatem, tanquam certiſſimum immodici poculi conſequens, revera eſſe ætatis & ingenii carnificinam, memoriæ naufragium, oblivionis, ignorantiæ, ſtuporis, invaletudinis & vitiorum omnium matrem, lippitudinis & graveolentiæ fontem & fomitem, evulgatricem arcanorum, invitatum hoſtem, voluntariam inſaniam, laſciviæ ac diſcordiæ magiſtram, quæ humanos ſenſus & mentem mergit, hebetat, ſubvertit, quid? hoc animal cui Deus omnia ſubjecit ſubjacere omnibus compellit. Hoc vitiorum vitium ſtupet coacta natura; dum homo ebrius neque ullum virtuti locum relinquit, nec ullum in dubiis conſilium invenit, nec inventum quidem intelligit: Dum neque præterita recordari, nec præſentia moderari, nec futura prævidere poteſt. Et cum reliqua vitia præſens otium duntaxat ſibi vendicant, ebrietas etiam longè poſt ſequens: Quô fit, ut, priusquam villum edormierint bibuli, non minus ad meditandum aut agendum inutiles ſunt ineptique quam cum prorſus ſopiti. Quo ſæpiùs vidimus paucarum horarum hilarem inſaniam totius poſt vitæ tædio penſatam. *vid. Frideric. de Marſelaer. legat. l. 1. differt. 17. p. m. 78.* In quantum autem hoc deteſtandum malum in ſpecie principi fugiendum ſit, *idem p. m. l. 5.* exemplo Polybii æque ac Androcydis, virorum ſapientiâ ubivis clariſſimorum comprobat. Hinc ſiquidem, ut intemperantiam Alexandri coi hiberet, ſalubri ſæpius fuit monito uſus: Vinum potaturus Rex memento te bibere ſanguinem terræ: Cicuta homini venenum, cicutæ vinum. Ille Demetrio ſequentia propoſuit axiomata: Sobrius eſto, nemini fidem habere facilè memento, ſpes tuas in te ipſo pone, hi nervi

ſunt prudentiæ, *add. ex Plin. Bruſ. l. 1. c. 9.* Porrò ebrietatem deteſtantur *Thom. 2. 2. q.* 150. *art.* 2. eandem peccatum mortale vocans; & *L. Ann. Senec. Epiſt.* 83. *p. m.* 447. dum omne vitium, inquit, ebrietas & includit & detegit: Obſtantem malis conatibus verecundiam removet: Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit: Tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus, quantum petierint, permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non lingvam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia; crudelitas ſævo; malignitas livido. Adjice iſtam ignorantiam ſui, dubia & parum explanata verba, incertos ocnlos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquô turbine circum agente totum domum, ſtomachi tormenta, cum efferveſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen utcunque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt: quid cum ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt: Sed & cogita, quas clades ediderit ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicoſiſſimasque hoſtibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa, inania patefecit: Hæc contumaciſſimos & jugum recuſantes in alienum egit arbitrium, hæc invictas acies domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas victa templorum locorumque difficultate tranſierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt; intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus condidit. M. Antonium, magnum virum & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quàm ebrietas, nec minor vino Cleopatræ amor? Hæc illum res hoſtem Reipublicæ, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cum capita principum civitatis cœnantis referrentur, cum inter apparatiſſimas epulas luxusque regales ora ac manus proſcriptorum recognoſceret, cum vino gravis.

vis, ſitiret tamen ſangvinem. Similiter Ebrietas ab *Augu-ſtin. ad ſacr. virgin*, dicitur vitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo flagitiorum, turbatio capitis, naufragium caſtitatis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas lingvæ, procella corporis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Ut proinde ſcitè peritèque cecinerit *Horatius l. 1. Epiſt.* 5. quid non ebrietas deſignat? Operta recludit, ſpes jubet eſſe ratas, in prælia tradit inermen: Sollicitis animis onus eximit: addocet artes. Fæcundi calices, quem non fecere diſertum? Contracta quem non in paupertate ſolutum? Baſilius magnus, quid eſſet ebrietas interrogatus reſpondit: Ebrietas dæmon eſt, ſpontè admiſſus in animos per voluptatem. Mater eſt malitiæ, impugnatio virtutis: ex forti timidum facit: ex modeſto laſcivum: juſtitiam ignorat: prudentiam abolet. Et ſicut aqua pugnat igni, ſic immoderatio vini mentem ſobriam extinguit. *Anton. & Max. Serm. de Ebrietat.* Potiores itidem intemperantiæ hujus effectus ampliſſimè ex diverſis ſanctis Patribus demonſtravit *Leonhard. Leſſ. ſupr. cit. lib. 4. c. 3. n. 20. & ſeqq. p. m.* 620. quorum ſumma ſaltim capita hìc recenſere lubet: (1.) Facultates exhaurit: hinc ſequitur gravis familiæ afflictio, liberorum neglectus, creditorum defraudatio, furtum, latrocinium, &c. (2.) Corpus fœdum, imbecillum & morbidum efficit: hinc enim eſt oculorum lippitudo, narium coryza, oris graveolentia, anima fœtida, membra tremula: hinc capitis deſtillationes, tuſſes, fœdique ſcreatus: hinc apoplexia & paralyſis membrorum, articulares morbi. (3.) Reddit hominem inutilem ad bonum, nimirum non ſolum ad opera pietatis, ſed etiam ad ſtudia literarum, ad politica, ad mechanica, denique ad omnem vitæ uſum. (4.) Facit hominem beſtiis ſimilem & etiam viliorem: hæc ſane eſt præcipua injuria, quam ebrietas per ſe & proximè dignitati naturæ rationalis,

lis, quâ parte eſt imago Dei, infert, ob quam maximè dicitur eſſe peccatum mortiferum. (5.) Secreta prodit. (6.) Ad mores abſurdos & gravia crimina excitat. (7.) Difficillimè curatur, quia vinum corporis habitum immutat, hepar accendit, fauces exſiccat & ſiticuloſos reddit, quo fit, ut ſitis bibendo augeatur, faucibus magis magisque areſcentibus &c. Hactenus *Leſſius*. Hoc autem nigerrimum profectò malum in privatis non tantùm converſationibus noxium ſuum aconitum diſſipat, ſed & in publicis nonnunquam conventibus pedem ſubinde l. conſtituit ſibi conſtantem, quemadmodum Autor eſt *Herman. Lather. de cenſ. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 32. *& ſeqq.* quippe in quibus iterum atque ſæpiùs tanta temperantia, & ſobrietas animadvertitur, ut eos non tam commentandi, quàm comeſſandi gratiâ inſtitutos æſtimare poſſes. Quapropter Ferdinandum I. Imperatorem refert *Bened. Carpzov. Prax. Criminal. part.* 3. *quæſt.* 146. *n.* 19. *p. m.* 378. Legatos principum & Civitatum Imperialium, monuiſſe hiſce verbis: Mementote, Vos huc ablegatos eſſe, non compotandi & commeſſandi; ſed publica Imperii negotia pertractandi gratiâ: ideoque maledictam ebrietatem manibus pedibusque fugitate, quæ animam ſimul & corpus perdit, & quæ vobis commiſſa ſunt, agitate: *add. Paul. Negel. p. m.* von Bürgerlichen Stande. *c.* 19. *p. m.* 219. ſimiliter *Chriſtoph. Peller. polit. ſcelerat. Impugnat. in addit. ad cap.* 13. *verb. pocula etiam p. m.* 13. *& ſeq. Severin. de Monzamban. de ſtat. Imper. Germ. c.* 5. *§.* 2. *p. m.* 67. qui tamen poſtremus hoc in negotio, utut vir cætera doctiſſimus, virgulam eruditorum cenſoriam nequicquam exaſſe avitare poſſe judicatur. Dum *l. c.* objiciendo ſplendidiſſimis Imperii Legatis pocula, in Comitiis horis antemeridianis vino Hiſpanico; Pomeridianis verò Rhenano aut Moſellano repleta, lividum ſuum animum adverſus Imperium noſtrum ſacratiſſimum manifeſtiſſimè prodit, adeoque merito injurius ob id, ac notâ dignus apud Doctiores audit. Huic quoque annumerandi ſunt, quos *Dn.*

*Pel-*

*Pellerus loc. cit.* introducit, qui itidem Comitiis noſtris ſtigma inurere conantur. Utinam etenim, inquit ille, atque etiam utinam, ne ea, quæ Columnæ, Romæ in executionem damnati facinoris contra Crequium Regis Chriſtianiſſimi Oratorem à Corſicis militibus patrati. A. O. R. M. DC. LXIV erectæ, effixa legebantur, ad noſtra quoque Comitia aliqui trahi poſſe putarent, hæc ſic ſe habent:

COMITIA. MODERNA.
IN. PROTESTATIONE. CONVENIMUS.
CONVENIENDO. COMPETIMUS.
COMPETENDO. CONSULIMUS.
CONSULTANDO. CONFUNDIMUS.
IN. CONFUSIONE. CONCUDIMUS.
CONCLUSA. REJICIMUS.
ET. SALUTEM. PATRIÆ. CONSIDERAMUS.
PER. CONSILIA. LENTA. VIOLENTA. VINOLENTA.

Verùm enim verò ratione competentiæ atque proteſtationum hiſce taxatoribus opponimus *Hermann. Herm. Faſcic. Jur. Publ. cap. 23. n. 16. & ſeqq. p. m. 392. cum Limn. de Jur. Publ. libr. 4. cap. 9. p. m. 295.* quoniam nullum tanti momenti argumentum in contrarium allegari poteſt, ut quis per illud vel minimum de ſuo jure remittere, vel honorem jactare debeat probè partum atque acquiſitum, (cum honori omnia poſtponenda *L. Julianus ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*) idcircò etiam impoſſibile ejuſcemodi rerum novatoribus in æternum futurum erit, hoc, quod protervè contra Magnificos hoſce Conventus jactitant, tueri: Reliqua reſponſione non dignamur, cum tanquam infra iram poſita ſcommata ſumma atque principalia capita non feriant. Interim nolumus, religione ducti, impræſentiarum eſſe dicaces; quin potius hoc ſonticum morbi genus, in ſua jam propria effigie conſideratum, ulterius per cauſas tàm internas, quàm exter-

nas

nas deducere, atque ultimo denique, in quantum poſſibile futurum erit, remedia abolentia ut & deſtructiva eidem adhibere volumus.

# CAPUT VII.

## CAUSAS POCULORUM IMMODERATORUM DEMONSTRANS.

CAuſam immoderatorum poculorum *efficientem* vel remotam facimus, vel propinquam. *Remota* nulla profecto eſt alia, quam partim *diabolus*, omnis quippe vitioſitatis autor ſolertiſſimus; partim *natura quorundam ſubjectorum vitioſiſſima* atque maximè perverſa. *Propinquam* ſubminiſtrant *partim ipſi bibaces*, qui ſcilicet ex beſtiali quadam in proprium corpus infundendi libidine ſcientes volentes ebrietatem ſibi conciliant; partim *alii*, qui ex ficta quadam ad pocula oblata reſpondendi neceſſitate intellectum atque motum omnem alteri ſuffurantur. Probè iſtum turpiſſimum morem taxat *Guilielm. Ameſ. de Conſcient. lib. 3. cap. 16. n. 11. & ſeqq. p. m.* 138. particeps, innuit, & hujusmodi peccati, qui ſciens volens, vinum vel cereviſiam præbet alteri usque ad ebrietatem. Cooperatur enim ejus peccato. Sed multo magis illi, qui alios ad ſe inebriandum inducunt, ſive directè id intendant, ſive indirectè, invitando ad bibendum, majoribus poculis poſcendo, certando, & ad paria facienda, vel jus, ut appellant, & rationem redhibendam, absque omni ratione urgendo. Idem indigitat *ex Ambroſ. de El. & jejun. cap.* 14. *Leonard. Lauretan. Venet. ſylv. rerum moral. p. m.* 61. de illis, qui invitant amicos ad convivia, ubi ad ebrietatem usque ſtupendam bibitur: vocatis. inquit, ad convivium ut amicos, & emittitis ut inimicos. In vitas ad jucunditatem,

cingis ad mortem ; invitas ad prandium efferre vis ad ſepulchrum : cibos promittis, tormenta irrogas : vina prætendis, venena ſuffundis &c. Elegans etiam hâc in re mihi videtur acutiſſimus ille Satyricus *Johonn. Barclaj. Euphorm. Satyr. part.2.p.m.214.* dum in deſcriptione convivii Trifartiti, à quo hoſpes invitatus erat, inter alia perinde gravia, & ſequentia profert : Jam increbeſcebant pocula, & paulatim perierat convivalium ſcrupuloſitas legum momentoque me totum longa poculorum ſepes obſederat. Interrogavi Trifartum, quid me tot machinæ monerent? Ille autem blandiſſimo annuit vultu, rogavitque num ſingulorum amicitiam ducerem tanti, ut illam modico hauſtu, quo provocaverant, ſancirem. Omnes idem petere ebrio plauſu ſignificabant ; cum etiam Trifartitus monuit, nec id officiorum repudiare integrâ convivarum gratiâ, poſſe. Ego penè lachrymas in tanta calamitate profudi, rogavique ne me ſuis amicitiis occiderent, hactenus ille. Cæterum num cauſam efficientem immoderatorum poculorum conſtituere queant Germanorum veterum hoſpitalitas convivia, prouti tamen conantur diſſentientes aſſerere, meritò ambigimus. Quoniam (1.) id, quod poſt humani generis lapſum ſtatim omnibus ferè nationibus fuit commune vitium, uni nationi ratione originis in ſpecie adſcribi nequit. (2) quoniam hoſpitalitas & convivia res in ſe indifferentes ſunt, & non, niſi à prava ſubjecti diſpoſitione, vitioſæ redduntur (3.) quoniam ex nullo probato Scriptore demonſtrari poteſt, hoc unicè Germanis tanquam proprium & quaſi innatum flagitium applicandum eſſe ; cum potius contrarium in omnium ore decantatum exiſtat, *vid. Plin. lib. 14. p.22. Franciſc. Irenic. lib. 1. Exeg. Germ. cap. 18.* Sic Carthaginenſes & Celtiberi, & Thraces, mero penitus uſi ſunt, tam viri, quàm mulieres, atque vino item veſtes perfuderunt præclarum hoc, & beatum vitæ genus exiſtimantes, *Cœl. Rhodigin. l. 28. A. L. c. 6.* Tartari in conviviis &



cum

cum hoſpitibus bibunt Araka , quod eſt lac ſublimatum,
quod mirabiliter & citò inebriat , *Matth. Miechov. Sarmat.*
*lib. 1. c. 6.* Gallos vini avidum genus prædicat *Ammihn.*
*Marcellin. lib. 15.* De Braſilianis idem tradit *Johann. Ler. de*
*Braſilian. cap. 9.* *Eraſm. Franciſc.* in Oſt-und Weſt-Indi-
ſchen wie auch Sineſiſchen Luſt-und Staats-Garten *part. 1. p. m.*
*315. & ſeqq.* & aere perpotandi ſtudium Moſcovitarum pro-
ponit *Joh. Barclaj. Euphorm. Satyr. part. 4. p. m. 343.* imò *p. m.*
345. inſonum illud commeſſandi bibendique vitium Dano-
rum ſequentibus pertractat ; illic Germania perpotandi
ſtudio ſuperatur. Manè primum excitati ſtomachum im-
plent ingeſto calidiſſimo potu , quem ab ipſo vino igne
exprimunt. Sic refectis miſſa ad caput æſtuantis potio-
nis caligo ſomni cupiditatem facit ; brevis quies eſt, rur-
ſusque ſecedunt ad potum. Vinum tunc bibunt , aut ſi
quibus , ut vocant , cerevifia placet. Quod inde ſpatii ad
medium diem eſt, negotiis datur. Tandem ad prandium
conveniunt, quodutique ſæpè non dubitant continuatis
ſermonibus, in cœnæ tempus extrahere ? hinc ut pluri-
mum in thalamos deferuntur, contumelias nec facere
promti, nec pati. Verum equidem eſt, & minimè, niſi
imprudenter , negandum , Germanos præ aliis multis po-
pulis potui indulſiſſe ? at exinde neutiquam iſta exclu-
ſiva propoſitio formanda venit : Ergo etiam verum eſt,
nullos niſi Germanos immoderatis poculis uſos fuiſſe :
Aliàs hanc bibacitatem Germanorum chartis quoque con-
ſignat *Coler. in proceſſ executiv. part. 1. c. 8. n. 88.* qui ex Me-
lanchtone refert, Teutones crebris ingurgitationibus tria
ſibi accreſcere mala ; paupertatem, adverſam valetudinem
& divinam maledictionem , Sie ſauffen ſich arm/ kranck/
und in die Hölle hinein. Item *C. Cornel. Tacit, de morib. Ger-*
*manorum cap. 4.* ſtatuit, quod minimè ſitim æſtumque to-
lerale valeant ; & *cap. 22.* aſſerit ; diem noctemque conti-
nuare potando nulli probrum apud Germanos. Crebræ
ut inter vinolentos rixæ , raro conviciis, ſæpius & cæde
vul-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0033-3

vulneribus tranſiguntur. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace deniq; ac bello plerumq; in conviviis conſultant: tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta nec callida, aperit adhuc ſecreta pectoris licentia loci. Ergò detecta & nuda omnium mens poſterâ die retractatur: & ſalva utriusque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt dum errare non poſſunt, potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Proximi ripæ & vinum mercantur. Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum ſine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem. Adverſus ſitim, non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcunt, haud facilè vitiis, quam armis vincentur. Ut proinde D. Martinus Lutherus rectè dixerit, atteſtante *Chriſtoph. Ludov.* Dietherr *in addit. ad Chriſtophor. Beſold. Theſaur. pract. verb.* Trunckenheit. Es muß ein ieglich Land ſeinen eigenen Teuffel haben / Welſchland ſeinen / Franckreich ſeinen / unſer Teutſcher Teuffel wird ein guter Weinſchlauch ſeyn / muß Sauffen heiſſen / (uti olim apud Romanos Sauffeja mulier bibacula Bonæ Deæ Sacerdos, *Juvenal. Satyr. 6. Meibom. de Cereviſ. cap. 11. n. 14.*) Daß er ſo dürſtig und heilig iſt / der mit ſo groſſen Sauffen Weins und Biers nicht kan gekühlet werden / und wird ſolcher ewiger Durſt Teutſchlandes Plage bleiben habe ich Sorge / biß an den Jüngſten Tag. Sed plura de hoc abominabili vitio addere ſubſiſtimus, cum ex hactenus dictis ſatis ſuperque contra contradicentes eluceat, illud quidem apud Germanos frequentiſſimum; ſed tamen huic Nationi, ut alii arbitrantur, nequaquam ut proprium adſcribendum eſſe. *Cauſa finalis* eſt ſubinde varia. Ratione ipſius bibacis poſſunt videri *Chriſtophor. Hegendorphin. in orat.*

 *Lipſ.*

*Lipſ. habit.* juxtim & *Gerard. Bucoldian. in orat. Colon. dict. de ebriet. laud.* quas integras recenſet *Caſp. Dornav. Amphitheatr. Sapient. Socratic. Jocoſer. Tom. poſter. p. m.* 28. *ſeqq.* Ratione aliorum, qui aliquem ad ebrietatem vel verbis & minis adigunt; vel blanditiis atque honoris prætextu invitant, non unicus quoque deprehenditur ſcopus: primò enim intenditur ſingularis honorum exhibitio. juxtim & benevolentiæ maximæ erga amicum ſuſceptæ oſtenſio. Secundò per ebrietatem animi ſenſus quandoque explorarunt: ob eam rem explorandis adoleſcentium ingeniis convivia nonnunquam indulta Plato ſcribit, quo illi ad pocula largius ſe invitarent, ut omnia ſua ſtudia cupiditatesque omnes propalarent, & ab intimis præcordiis effunderent. Hoc pacto etiam nonnunquam arcana atque clandeſtina legatorum conſilia propoſitaque elicere conantur; quemadmodum fermè unicum huncce in finem in pretio habentur ſtrenui illi potatores. Hûc faciunt verba *D. Ambroſii de Eliâ & jejun. c.* 17. Plerique dicit ille, vino tanquam eqvuleo utuntur, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ ſtatum, ſalutem civium, defenſionis ſuæ prodant conſilia. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat? Mentionem facit *Frater. de Marſelaer. Legat. diſſert. c.* 17. *lib.* 1. *p. m.* 76. Bonoſi Hiſpalenſis origine Britanni, qui Flavum Vopiſci judicio tantum bibit, quantum hominum nemo; qui ſeria & ſales tempori accommodare, & in communis vitæ ſcena perſonam quamcunque aptè ſuſtinere peritiſſimus erat: eoque nomine apud Aurelianum Imperatorem ſummo in honore fuit: Hic ſi quando Legati, quorum fortè in cibis & ſcyphis animus eſſet, adveniſſent; iisdem largè vinum propinando, ſecreta expectorare, ipſe quantumlibet hauſisſet, ſemper ſecurus & ſobrius eſſe ſolebat, & adhuc in fine prudentior. Cum enim nil minus agere, quam quod agebat, videretur: agebat tamen maximè, quod putabatur negligere: facundus orator, fœcundus potator. De

ho-

hoc Aurelianum ſæpe dixiſſe ferunt, eum non ut vivat, ſed ut bibat; natum fuiſſe; quod & Probus confirmavit, cui, cum ab eodem captus vitam laqueo finiſſet, joco locum dedit, amphoram pendere non hominem: *add. Aventin. Annal. Bojor. lib. 2.* Verumtamen quoniam inevitabili quandoque periculo ſimulatio non rarò bona efficaciſſimè opponi poteſt; ita quoque hoc in negotio neceſſariò bonus adhibendus venit dolus, ne ſcilicet incauti madidâ violentiâ obviamur. Quapropter plurimos legatorum prællegatus enumerat *Freder. de Marſelaer. l. c.* qui ſimiliter callido potatorum machinationi contrapoſito conſilio totam verſipellem aſtutiam reddiderunt eluſoriam, quorum unus coctam ſaccaro aut cinnamomo aquam, ſed in anteceſſum paratam, paribus poculis cepit, ſtupentesq; decepit: alter catarrhum ſimulando, nocturno frigore contractum, ſaccaro & malis aureis opus eſſe dixit? illud igitur non tritum, hæc integra à famulo poculis injecta ſunt, adeoque liberaliter, ut nihil, aut parum vini ſupereſſet: ſic poculis ipſisque potatoribus impoſitum; nil negotio, nil menti demptum. Tertius ingenioſus Hiſpanus, ebrioſorum intemperiem aſtu expresſit, nempe cyathum anguſti oris affabre confictum aptabat, ſubſtituebatque vino famulus, quoties hero argenteus ſcyphus evacandus erat; aliis plenum & minimè fartum porrigebat aurum. quæ cum aliis evadendi & declinandi remediis prudenti temporum ac circumſtantiarum obſervatori applicanda deponimus. *Effectus immoderatorum poculorum* ſuccedit, quem ipſiſſimis Plinii verbis depingimus: tunc avidi, inquit, matronam oculi licentur: tunc animi ſecreta proferuntur. Alii teſtamenta ſua nuncupant: alii mortifera loqvuntur; redditurasque per jugulum voces non continent; quam multis ita interemptis vulgoque veritas jam attributa vino eſt. Interea ut optimè cadat, ſolem orientem non vident, ac minus diu vivunt. Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus,

effundentes plena vaſa : & quæ ſit pœna præſens, furiales ſomni, & inquies nocturna, præmiumque ſummum ebrietatis, libido parentoſa, ac jucundum nefas. poſtrema die ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omnium oblivio, mortesque memoriæ. Rapere ſe ita vitam prædicant, ac priorem diem quotidiè perditant : illi verò & venientem. Acuto præterea ſtylo eadem tetegit laudatiſſimus hactenus *Barclaj. l.c. p.m.225.* Erant undiquaq; innuit ille propinantiũ ſcyphi, quos mihi convivarũ barbaries parabat, innumerabiles quidem ſed ne omni ſolatio vacarent, illi penè ſicci, & tantum exiguâ veluti libatione onerati. Sed ut ingentia flumina ignobiles rivuli componunt, & ſimplex aſſiduitas terit ferrum, ita ego his lataginibus plenus eram, & periclitabar corrumpere mentem ; cum apertæ publico confeſſu fores dimiſere volentes. Fruſtra gratulabar mihi de libertate nova. Etenim aliquantulum progreſſi in aliam cuſtodiam incidimus, & illam non minus inhumanam ; ubi tribus poculis invitatus, cum conſulerem corpus, poſſet ne ad extremam neceſſitatem durare, ex convivis duo ſemianimes procumbunt in terram. Inundaverant ſolum reducis vini fontes, & odore turpiſſimo corrumperant locum : cum alii jacentes attollere, nec ipſi benè ſani ; alii ſolutiſſimo riſu elatos proſequi cœperunt. Ego commoditate temporis uſus inter bacchantium tumultus elabor, domum nec jam ſatis ſinceris pedibus quæro. Poſtera luce acerbiſſimo dolore afflictus ſum, & mihi inteſtinis pulſibus caput collabebatur in partes. Itaque abſtinui à conſortio Thebanorum. Similiter amentiam, ſive intellectus privationem certiſſimum eſſe perpetuæ ebrietatis effectum atque genuinam filiam memorabili exemplo confirmat *Athen. Dipnoſoph. lib. 2. cap. 1.* & ex hoc *Camerar, h. ſucciſivi. cent. 1. c. 94. p. m. 475.* iiſdem ferè verbis deſcripſit. Juvenes etenim quosdam inducit, ob ebrietatem amentes : qui vino calefacti, eò usque dementiæ proceſſerunt, ut ſe in triremi navigare, & mare magnoperè eſſe perturbatum, arbitrarentur. Deinde

inde ita dementes facti ſunt, ut omnem domus ſuppellectilem unà cum lectis projecerint. Nam viſus erat navis gubernator, navem exonerari oportere ob tempeſtatem, dixiſſe. Sed qvum multi congregarentur, diriperentque ea, quæ projecta fuerant, neque tamen juvenum dementia idcirco, vel die ſequenti deferbuiſſet: acceſſerunt militum duces in domum, ubi laborentes nauſea etiam tum juvenes jacebant: quibus interrogantibus reſponderunt juvenes, ſe ob tempeſtatem defatigatos ſupervaneis oneribus navem exonerare oportuiſſe. His admirantibus dudum juvenum ſtuporem, unus eorum juvenum, qui major ætate reliquis eſſe videbatur, Ego, inquit, viri Tritones, ob timorem me in hos thalamos projeci, ut quàm maximè liceret, inferius jacerem. Veniam igitur duces mentis eorum alienationi concedentes, jubentesque non plus vini bibere, quàm conveniat, eos dimiſerunt. Juvenes gratiam ſe habere faſſi ſunt. Nam ſi portum poſt tantam tempeſtatem attigerimus, dixit quidam, vos manifeſtè ſervatores noſtros inter cæteros deos marinos in patria noſtra conſtituemus, tanquam nobis ſalubriter apparentes. Hinc domus illa Triremis dicta eſt. Tantum jam laudatus Autor. Poteſt inſuper videri *Caſp. Schott. phyſ. curioſ. part. 1. lib. 2. c. 6. §. 2. p. m.* 230. Quod ſi ulterius veterum monumenta hiſtoriarum revolvere concupiſceremus, non inferiorem teſtimoniorum farraginem coacervare poſſemus. Alexander ſanè Magnus Clitum cariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit; & intellecto facinore mori voluit, certè meruit. Maximinus Imperator vinolentia & ebrietate usque adeò abſorptus fuit, ut inter potandum inſaniret, ac talia temulentus præciperet, quorum poſtea ſobrietati reſtitutum pœniteret; *vid. Senec. Epiſt.* 83. *Euſeb. Eccleſiaſtic. hiſtor. lib.* 8. *cap.* 16. *Oroſ.* 3. *lib. cap.* 18. *Juſtin. lib.* 12. *n.* 6. *Curt. lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 52. *Arrian. lib.* 4. *cap.* 2. Wenceslaum madida & ebrioſa vita adeò immemorabilem ac aliis ſceleribus obſeſſum reddidit,

ut

ut ei nullum vulnus niſi per cicatricem infamiæ imprimi potuerit *Megiſer. in Chr. Carinth. l. 9, 34.* eundemque vini imprimis Rhenani appetentiſſimum fuiſſe memorat *ex Cromer. lib. 18. & hiſt. illuſtr. Herman. vir. cap. 83.* **Chriſtoph. Lehmann.** *Chron. Spirenſ. lib. 7. c. 61. p. m. 828. col. 2.* Imò unius Crapulæ rabiem aliquando juvenem aliquem Imperatorem cum ſeptem aliis Regibus à regno & throno deturbaſſe innuit. Eraſm. Franciſc. **in Oſt-und Weſt-Indiſchen Luſt-und Stats-Garten.** *p. m. 1257. & ſeqq.* Nec obſtat hactenus prolatis, extitiſſe quædam ſubjecta, quæ quamvis, naturæ quidem vitio, maximè bibacia, tamen nequicquam potu obruta fuerunt: documento nobis erunt *Bonoſus*, de quo ſupra; & Novellius Torquatus Mediolanenſis, qui inter celebres potatores hoc encomium meritus eſt: quod tres congios biberit uno hauſtu ἀπνευστὶ, ſpectante, miraculi gratiâ, Tiberio Principe. Et fuit in eo hæc gloria rara, non labaſſe ſermone, nec levatum vomitione, non alterâ corporis parte, dum biberet: matutinas obiſſe vigilias: plurimum hauſiſſe uno potu, plurimum præterea aliis minoribus addidiſſe: optimâ fide non reſpiraſſe in hauriendo, neque expuiſſe; nihilque ad elidendum in pavimentis ſonum ex vino reliquiſſe, diligenti ſcito legum contra bibendi fallacias, *Thom. Lanſ. Conſultat. de principat. int. provinc. Europ. orat. pro German. p. m. 950.* Heraclides pugil parem in bibendo non habebat; alios enim ad jentaculum invitabat, alios ad prandium, quosdam ad cœnam, quibus omnibus ſine inſtituto ſufficiebat ſolus, *Vid. ex Raviſ. Lang. Antholog. verb. ebrietas. p. m. 180.* Mimus ille Phago, *à Flav. Vopiſc. in Aurelian.* citatus, uno die aptum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum comedebat; bibebat autem absque ebrietatis notâ infundibulo appoſito plus orca. L. Piſo urbis cuſtos, ebrius, ex quo ſemel factus eſt, fuit. Majorem partem noctis in convivio exigebat: usque in horam ſextam ferè dormiebat: hoc erat ejus matutinum. Officium tamen ſuum, quo tutela

urbis

urbis continebatur, diligentiſſimè adminiſtravit. Huic & divus Auguſtus dedit ſecreta mandati, cum illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tiberius proficiſcens in Campaniam cum multa in urbe & ſuſpecta relinqueret & inviſa, puto, quia illi benè ceſſerat Piſonis ebrietas, poſteà Coſſum fecit urbis præfectum, virum gravem moderatum, ſed merſum vino & madentem; adeò, ut ex ſenatu aliquando, in quem è convivio venerat, oppreſſus inexcitabili ſomno, tolleretur. Huic tamen Tiberius multa ſua manu ſcripſit, quæ committenda ne miniſtris quidem ſuis judicabat. Nullum Coſſo aut privatum ſecretum, aut publicum elapſum eſt, *Vid. Senec. cit. Epiſt.* 83. *p. m.* 445. His obiter accenſendum cenſemus cum *Lanſ. lib. cit. p. m.* 889. *ex G.* Widman. in der Schwäb. Hälliſchen Chron factum trium ſororum Svevo-Hallenſium; A. C 1532. Nach S. Johann. Baptiſtæ Tag ſeynd gläublich drey Weiber (ſo Schweſtern geheiſſen / die Friedrichen von Eltershofen bürtig) von Hall gehn unter Müncken kommen / in des Mühl-Michels Haus / darinnen des beſten Weins zu der Koſt ausgetruncken XXXII. Maß / darnach die Zech bezahlet / und dennoch fein geruhig vor Nacht wieder gehn Halle gangen. Exempla hujus generis plura ſuppeditat *Caſpar. Schott. Phyſ. Curioſ. part.* 1. *lib.* 3. *part.* 3. *c.* 12. & 13. *p. m.* 458. & *ſeqq.* & inſimul cauſas bibacitatis *p. m.* 459. adducit. Veruntamen in hiſce exemplis utique id, quod ad ſedandam ſitim & ad lætitiam animi excitandam conducit, ab eo, quod ab im̃odica ingurgitandi libidine vel conſvetudine derivatum eſt, probè diſcerni debet. Certum equidem eſt, non eo inficias, virtutem, adeoque etiam ſobrietatem in definitione mediocritatis à viro prudente conſiſtere, & per hoc, quod in uno ſuperfluum animadvertitur, in altero conveniens apparere; tanquam in capite primo hujus diſſertationis invenimus: quamquam alia inſimul varia inebriandi remedia madidæ Bacchi cohorti ſint notiſſima. Sic herbas quasdam adhibi-

tas fuiſſe novimus: quemadmodum atteſtantur, de croco,
vite alba ſive bryonia, manico ſive halicacabo, datura, ban-
que, coca, geloto, phyllide, opio, lolio, helenio, ambra
cineritia, *Sim. Seth. de Alim. facult. lit. A. 13. Johann. Vier.*
*de præſtig. dæmon. lib. 3. cap. 10. Garſ. hiſt. plant. nov. orb. lib. 2. c.*
*24. & ſeq. Plin. lib. 24. cap. 17. Serap. jun. Simpl. medic. cap. 173.*
*Meibom. de cereviſ. cap. 23. Hier. Cardan. lib. 8 de ſubtil.* Et
veneficio ſolani, herbæ ſomniferæ, Duncanus ille Scotus
devicit atque trucidavit exercitum Svenonis, Norvvegiæ
Regis, urbem Scotiæ Bertham obſidentis. Hic etenim de
urbis deditione ſimulanter cum Svenone agens, magnam
interim panis & vini vim, herbæ ſolani ſomniferi ſucco
infectam ſub ſpecie amicitiæ in caſtra obſidentium ſubmi-
ſit, militesque, deinde ſomno vinoque gravatos ad inter-
necionem delevit, *Georg. Buchanan. Hiſtor. Scot. 7.* & ex eo
*Meibom. l. c. n. 11.* Huic quoque facit locus *Philipp. Came-*
*rar. oper. ſucciſ. cap. 93. cent. 1. p. m.* 468. de lolio vel zizania:
Hoc mihi nuper, infert ille, conqueſtus eſt villicus noſter
in fundo paterno ad Aracum amnem: ajebat enim ſe ignarū
hujus rei panem indeconfeciſſe, ſeq; unà cum ſua familiam
ad talem temulentiam & veluti amentiam, qualem in vita
nunquam ſenſiſſet ex ejus eſu redactum fuiſſe; quæ tamen
in ſomno, durante nihilominus alioquot dies gravedine
capitis, rurſus abiiſſet. Monſtrabatque mihi acervum hu-
jus Zizaniæ, quam ſegregaverat, quæ tantum colore ni-
gricante à reliquo frumento diſcerni poterat, ita ut facilè
aliquis, qui ejus effectus neſciret, decipi poſſet, *hæc Came-*
*rarius.* Nec fumo inter temulentos ſua defuit efficacia:
hinc Thraces, Scythæ, Maſſagetæ epulantes focos ambire
ſoliti fuerunt, herbarum ſemine ignibus injecto, cujus os
odore capti ebrii effecti ſunt, & velut temulenti jacuerunt.
*Herodot. lib. 1. Maxim. Tir. ſerm. 11. Alexand. ab Alex. ge-*
*nial. dier. lib. 3. cap. 11.* de herba cohobba *vid. Petr. Martyr.*
*dec. 1. de reb. ocean. lib. 1.* ut jam reticeam abuſivè ſæpius hau-
ſtum fumum Tabaci, tartareum certe ac juxta ſententiam

*Hieron.*

*Hieron. Benz. hiſtor. nov. orb. lib. 1. cap. 26.* verè diabolicum, quem venuſtè, ſuo more, deſcripſit laude digniſſimus. *Barcl. Euph. part. 2. p. m. 230. & ſeqq.* Nihil inquit, mirabilius mihi fuit, quàm quod extremo convivio neſcio, quæ inſtrumenta illata ſunt; levia quidem politaque, ſed ſamia tantum. Eorum hic modus fuit: Calix erat exiguæ capacitatis, ad quem pertinebat directa veluti tibiola, eaque cavata. Catharinus (nomen hoſpitis) autem aliquid evolvit ex multiplici charta, & in minutiſſimas diſſectum partes in illum calicem diperit, admotaque excitat flamma. Tum verò exundavit tenuis fumus, & ſe in aerem diſperſit; cum Catharinus extremam tibiolam ori inſertans, perductum ſpiritu fumum per concavos inſtrumenti meatus diutius faucibus preſſit: donec ſubhorridus vapor occuparet domicilium mentis, & mirabili monſtro per omnium ferè ſenſuum receptacula laxaretur. Oculi concepta lacrymarum nube tamen ardebant: nares caliginoſi aëris reddebant volumina: & os omnino fornaculæ imaginem figurabat, cum humiditatem lignorum nondum victrix flamma exprimit. Seqvutum eſt ingens ac ſordidum flumen, cum omnibus oſtiis exciti ab hac peſte humores aut concepti exundarent. Ac ne quid deformi ſpectaculo deeſſet, tam peſtilens odor triclinium invaſerat, ut jam mallem vel Catharinum orationem in illam horam produxiſſe. Invitati deinde ad eandem medicamenti ſvavitatem ſumus, plantam enim mirificæ in humorum noxam animoſitatis eſſe, & in omnes morbos procul dubio valituram. Sed neque me, neque ſocium meum, tunc fatigabat vita ad deſiderium mortis. Imò credidimus hominem illum, ultra ad dotes, quas memoraverat nobis, etiam pſyllum eſſe: alioqui nunquam venenum tam atrox percoxiſſet. Cæterum herbam hancce Galli alio nomine Nicotianam vocarunt à Johanne Nicoto, Catharinæ Mediceæ Galliarum reginæ viduæ in Portugelliam Legato, qui inde eam primus deferens Reginæ obtulit, *Meibom. l. c. cap. 24. n. 5.*

Aliàs eandem apud Indos naſci autor eſt ſupra citatus *Benzo l. c.* dum ait: arbuſta quædam naſcuntur, modicæ magnitudinis, arundinum fermè ſpecie: folia ut nucis habent aut paulò majora, quæ ab indigenis plurimi fiunt, & ab ipſis quoque mancipiis, quæ Hiſpani ex Africâ eò devexére, ubi maturum eſt, ea folia ſtringunt, & in faſciculos collecta ligataque in fumario ſuſpendunt donec inaruerint; qvumque illis uti volunt ſpicæ patriæ folium unum ejus herbæ uni folio innectunt, eamque ſimul fiſtulæ aut tubæ inſtar compingunt, & ejus capitum altero igni admoto alterum ori inſerunt, & ſpiritum ſtatumque ad ſe retrahunt. Moris præterea erat apud Indos, ut ſacerdos conſultus de bellorum eventu, aliisque magni momenti negotiis iſtius plantæ folia ſicca ureret, & eorum fumum tubulo ſeu cannula quâdam in os exciperet, deinde in extaſin quandam quaſi raptus caderet omni motu privatus: ſicque permaneret aliquam diu. Diſcuſſa autem ejus fumi facultate ad ſe redibat, referebatque, ſe negotium cum dæmone contuliſſe, & reſponſa dabat ambigua. Hactenus citatus autor: *add. Eraſm. Franciſc.* Oſt-und Weſt-Indiſchen / wie auch Syneſ. Luſt-und Stats Garten. *p. m.* 463. *& ſeqq. item* 1470. Sicut autem uſus hujus herbæ modicus non ſemel atque iterum ad varios morbos diſpellendos conducit; ita ex adverſo deteſtandus ejusdem abuſus adeò altas inter multos noſtratium radices egit, ut indelebili ferè magnitudine laboret: quod conſimili ratione culpat prædictus. *Barclaj. Satyr. p. m.* 231.

*Planta nocens, ô lethifero planta horrida fumo.*
*quam bona diverſis natura removerat oris;*
*quis te, planta nocens, triſti vectare carina*
*Inſtituit demens, noſtrisque oſtendere terris?*
*Scilicet infelix raperet cum ſecula mavors,*
*deformisque fames, morbique cadensque ſenectus,*
*(proh dolor!) & ſæva legerent aconita noverca,*

*Heu etiam in noſtras deerant hæc fata ruinas!*
*quis ſordes facinusque tuum dirosque vapores*
*Explicet, & fœdo ſurgentia nubila fumo?*
*Talis avernali corrumpit ſpiritus auras,*
*Miſſus in aſtra lacu, moritura que germina ſolvit;*
*Vicinumq́, pecus, volucrumq́, intercipit alas:*
*Talis & inferni ſubter mala limina mundi*
*urget odor manes, cum lampada triſtis Erinnis*
*ſolvit, & extinctæ fumant poſt prælia tædæ.*
*Planta nocens, ô lethifera planta horrida fumo;*
*Te ſi ſemifero Cacus jactaſſet ab ore;*
*Alcidem viciſſet odor. Te ſecula priſca*
*ſi noſſent, poterant vacuis præferre cicutis;*
*Et de Cerberea natam te dicere ſpuma.*
*Tunc ſi quis patriam violaſſet ſede ſenectam,*
*Huic mites nimium flammas, huic lenta putaſſent*
*Flumina, fumigeri potaſſet nubila Leti.*

*Forma poculorum immoderatorum* reſtat quam ponimus in actuali adhibitione potus ſuperflui & minus juſtè à recto rationis dictamine definiti; à qua tamen ſerio abſtinendum hortatur *Guilielm. Ameſ. Caſib. Conſcient. cap.* 16. *n.* 14. *p. m.* 139. tum maximè evitandi ſunt ritus illi, quibus ebrietas ſolet artificiosè promoveri. Cujus generis ſunt adjurationes aliorum, per nomina magna, vel chara ad pocula evacuanda; circummiſſio poculorum, ut ab omnibus & ſingulis pariter exhauriantur; abuſus ſortis ſub alicubi fieri ſolet per talos crepitaculi loco ſcypho incluſos, vel per molendinum ſcypho affixum, ad fictitiam quandam legem (non ſcriptam) & neceſſitatem bibendi convivis imponendam; & quæcunque ſimilia myſteria Bacchi, & manuductiones ad exceſſum potandi. Sed ratione horum bibendi actuū poſſunt legi *Diſp. de Jur. potand. n.* 28. *apud Dornav. amphitheatr. ſapient. Secratic. Jocoſer. part.* 1. *p. m.* 43. *Guarinon.*

*rinon. lib. 4. c. 42.* Nos temporis atq; chartarum rationem habentes noſmet accingimus ad

# Caput IIX.

## QVASDAM POCULORUM IMMODERATORUM SPECIES PRODUCENS.

PRimam Immoderatæ bibendi conſvetudinis ſpeciem arbitramur nobis ſuppeditari in immodicis ſalutipotationibus in Aulis Magnatum uſitatiſſimis; etenim, Regibus hic mos eſt, magnis urgere cucillis, & torquere mero, quos perſpexiſſe laborant. Morem huncce culpandum accuſat *Caſp. Kock. de Ærar. lib. 2. cap. 49. num. 30.* pro ſaluti, inquit, Imperatorum Exercitum, Comituum, Filiorum bibere, (quod hodieque nimis crebro fieri videmus) olim quoque tam erat uſitatum, ut *B. Ambroſius in lib. de Hel. & Jejun. cap. 17.* coactus fuerit reprehendere: ne quis putet, recentem eſſe hunc morem. Sic enim ille ſcribit: quid autem obteſtationes bibentium loquar? quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro Salute Imperatorum, & qui non biberit, ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium! Bibamus pro ſalute Exercituum, pro Comitum virtute pro filiorum ſanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant, ſicut illi, qui calices ad ſepulchra Martyrum deferunt, atque illic ad veſperam bibunt & aliter ſe exaudire poſſe non credunt. O ſtultitiam hominum! qui ebrietatem ſacrificium putant. Qui exiſtimant illos ebrietate placari, qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt.

Inſtrumenta autem, ex quibus prægrandes illæ ſaluti-

po-

potationes hauriuntur, ſunt ſæpiſſimè ingentia quædam vaſa gratulatoria, die Willkommen / & aliæ peramplæ vini, cereviſiæque amphoræ, Imperium noſtrum Romano-Germanicum, das Römiſche Reich/ (ſi Diis placet!) repræſentantes: quæ propinatæ adeò ex ſtolida multorum opinione alterum adſtrinpunt & obligant, ut ingratus & injurius is eſſe putetur, ſi, ut jam ſupra monitum, erectus ebibere & ſe inebriari recuſet, *Georg. Obrecht. de Neceſſ. Defenſ. cap. 6. n. 75.* Optimo modo eas depingit *Conſtantin. Germanic. de Peregrinat. Germanic. polit. p. m. 329. ex Adam. Hammel.*

*Peſſimus eſt hodie potores inter amicos*
*Mos, ut pro alterius pocla ſalute bibant.*
*Mos certè nequam! nec enim tibi pocla ſalutem,*
*Quæ vitiant morbis corpora ſana, ferent.*
*Sanè valetudo haud bibitur; ſit ſobria vita,*
*Longior & ſani corporis uſus erit.*
*Hâc poteris domini tibi conciliare favorem,*
*Atque tibi, atque aliis utilis eſſe diu.*
*Corporis ebrietas animæq; eſt dulce Venenum,*
*Ad Phlegetontiacos pertrahit ille lacus.*

Utut autem ebrietas in ſe & ſua naturâ vitium ſit non tantum cane pejus & angve cuilibet, qui proſperos rerum ſuarum ſucceſſus ſperat, fugiendum; ſed etiam, prouti in præcedenti capite monitum, ſeverâ ſemper pœnarum aſperitate vindicandnm; ſuo tamen modo, quatenus videlicet ab habitu ebrioſitatis poteſt diſcerni, non levem cùm inter Doctores morales, tum inter Juris noſtri Interpretes pœnæ mitigationem admittit. Hinc ebrietatem (ſi aliâ viâ vel medicinâ ſanitas diuturnior non poſſit recuperari, & in illa ebrietate non timeatur aliquod damnum, puta quod blaspheмet, vel aliud committat malum) propter vomitum ex Conſilio Medici quandoque concedendam arbitramur cum *Franciſc. Tolet. Inſtruct. Sacerd. lib.* 8. *cap.* 61. *n.* 4. *p. m.* 1168. *Cajetan.* 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. cum ibidem ex eorum ſententia tantum materialis, non verò formalis eſſet ebrietas, *add. Martin. Aſpilc. Navarr. n.* 21. *cor. n.* 69. Alia eſt reſponſio *Azor. Inſt. moral. lib.* 7. *c.* 22. *q.* 5. quando ebrietatem, inquit, ſumtam, prout eſt immoderatus vini potus voluptatis causâ non licere ad ſanitatem ex medici conſilio; licere autem, ſi ſumatur, prout eſt potus aptus ad ſanandum ægrotum, qui tamen potus benè valenti immoderatus eſſet, *add. Bannes.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *Avicenn.* 3. 1. *doctr.* 2. *c.* 8. *& ſent.* 34. *p.* 2. Novimus equidem circa hanc rem diſſentientes *Angel. & Roſel. verb. ebrietas, n.* 2. *Anton.* 2. *part. tit.* 8. *c.* 3. §. 1. Veruntamen eorum opinio (quaſi ebrietas in ſe ſemper mala & nullo penitus ſub reſpectu naturæ atque efficaciæ ſæpius culpoſæ vim mutare poſſit) ex hactenus prolatis reſtrictionibus de facili uti, remur, corruere poteſt, *jung. Thom. Sagittar. Exerc. lib.* 2. *q.* 2. Porrò Doctores Juris noſtri non minus circumſtantiis ita ſingulariter expoſcentibus circa hanc rem mites offendimus: Sic quoniam conſenſus duo debeat habere principia, intellectum & voluntatem, hæc autem in ebrietate deficiunt: idcircò (1.) contractus, imò

in genere aliæ pactiones omnes ab eo, qui ad mentis usque alienationem ebrius fuit, initus, nullius cenſentur momenti, *vid. Dn. Struv. Ex. 6. th. 37. p. m. 196. Viv. deciſ. vol. 1. deciſ. 105. Treutler. vol. 1. D. 6. th. 15. lit. A. Philipp. Dec. conſil.* 112. *p. m.* 124. Sic conſulenti A. W. zu N. Menſ. Jun. Anno 1614. Dn. Scabini Jenenſes reſponderunt: Da ihr damahls mit einen Trunck beladen geweſt/ und nicht gewuſt / was ihr gethan. So ſeyd ihr denſelben / was da zur Zeit eurer Mühlen halben verſprochen worden/ nachzuleten nicht ſchuldig / V. R. W. tum maximè quod ebrius iſte furioſo aſſimiletur, qui uſu rationis eſt privatus, *arg. c. venter. diſt. 35. c. ſanè. 7. XV. q 1. arg. c. à crapula. 14. X. de Vit. & honeſtat. Clericor. l. 1. C. ſi quis Imperat. maled. ibique Alberic. de Roſat. Fichard. 1. Conſ. 58. n. 4. Sebaſt. Hornmold. Repertor. Jur. verb. ebriet. p. m. 546.* & infanti, qui contrahere nequit, *Maſcard. vol. 2. concluſ 579. n. 3. Alexand. in L. dolum. 6. C. de Dol. Mal. ibique Apoſtill.* Similiter (2) Sponſalia tam de præſenti, quam de futuro irrita ſunt., *Bened. Carpz. Juriſpr. forens part.* 2. *conſtit. 15 def. 36. Joach. à Beuſt. de ſponſalib. cap.* 11. *Matth. Weſenb. in π. ff. de Rit. Nupt. num. 8. Thom. 2. 2. q. 150. Struv. Ex. 29. th. 25. p. m. 103. Rip. ad L. fin. C. de Revocand. donat. q. 22. Didac. de Medran. de conſenſ. connubial. cap. 6. n. 7. p. m. 23. Covarruv. 4. Decret. cap. 2. p. 2. n. 9. Dominic. Arum. Exerc.* 12. *th. 8. p. m. 922. Georg. Dedekenn. Theſaur. Conſ. & Deciſ. Volum. 2. Sect. 7. de ſponſal. non per omnia legitim. num. 13. & ſeqq. p. m. 204. & ſeqq.* ita ut in eo, qui furioſus in frequenti ebrietate exiſtere aſſolet adeò, ut uxor ex continuata ejus percuſſione dubiam ſubinde vitæ aleam ſubire cogatur, locum habere divortium in Curiâ Archi-Ep. Neapol. deciſum fuiſſe

nuat *M. Anton. c. 21. num. 12.* Quod etiam Rex Fridericus II. vetuit: hinc etiamſi ad promiſſionem concubitus acceſſerit; veluti ſi benè potius mulieri fidem dederit, & cum ea rem habuerit, matrimonium ratum non eſſe, ſed potius ſtuprum habendum, niſi vir ubi crapulam edormierit, ea, quæ prius promiſit, novo conſenſu rata habeat, vel quotidianæ ingurgitationi ac fallaciis illis honeſtas virgines ludificandi deditus ſit, doctores nonnullos ſtatuere innuunt, *Paul. Cypræus. de ſponſalib. cap. 13. §. 61. p. m. 541. & ſeqq. arg. c. unusquisque verb. quod ebrius. ibique Gloſſ. XXVII. q. 4. c. ſanè. XV. q. 1. Gerhard. tom. 7. LL. CC. loc. 28. de Conjug. §. 117. p. m. 197. Andr. Pruckner. Manual. Qq. Theolog cent. 8. q. 54. p. m. 371.* Porrò hoc non procedit (1.) in fidejuſſionibus, *Val. Franc. de Fidejuſſ. c. 2. n. 34. Jacob. Ayrer. Proceſſ. hiſtoric. p. 1. cap. 12. obſerv. 1. n. 12. & ſeqq.* quod atteſtatur de Alberico (*quem Gloſſ. ad L. dolum. 6. C. de Dol. mal. verb. convenit. p. m. 417.* Aldricum nominat) *Cypr. l. c. p. m. 542.* quem Hiſpani invitaverant ad prandium, & inebriaverant, ut fidejuberet pro eis, vel rationes ſuas accommodaret; dederantque ei vinum album, quaſi aquam rubeo mixtam. Idem (4.) dicendum de emtione venditione, ſecundum præjudicium allegatum à *Benedict. Carpzov. Jurisprud. Forenſ. part. 2. Conſtit. 15. defin. 36. p. m. 544.* præſertim, ſi in ſe ſit res minoris pretii, *Vinn. tract. de Pact. cap. 14. n. 3.* Nec contrarium aſſerendum (5.) in materia teſtamentorum, *Philipp. Dec. cit. Conſil. 112. n. 1. p. m. 124. cum Bald. in c. crapula X. de vit. & honeſt. cleric. add. Weſenbec. ad §. 1. Inſt. qui teſtam. facer. poſ. lit. b. Tiraquell. de Pœn. cauſ. 6. n. 8.* ubi ebrius teſtamentum facere non poteſt, & ſi quod fecit, nullum eſt. *Ludvvell. Diſp. 7. th. 5. lit.*

*lit. d. p. m.* 134. *Dn. Johann. Strauch. Digeſt. ad ff. 9. 8.3. p. m.* 111. Multò minus (6.) teſtis in teſtamento adhiberi poteſt, cum nemo dicat teſtimonium niſi jejunus, *arg. c.* 1. *ibique Gloſſ. verb. jejunus. x. de teſtib. Specul. tit. de teſtib.* §. 1. *n.* 81. *Auguſtin. Barboſ. Theſaur. lib.* 5. *cap.* 1. *verb. ebarius. ex.* 1. *p. m.* 398. (7.) Eximitur à pœna parricidii ordinaria, qui non doloſè, ſed ex culpa, videlicet propter ebrietatem infantem oppreſſerit & dormiens occiderit teſtibus *Dnn. Scabin. Lipſ. ap. Carpzov. p.* 4. *c.* 3. *defin.* 14. *in verb.* Hat gedachter inquiſit ſein Kind nur eines Jahres alt / in trunckener Weiſe zu ſich ins Bette genommen / dahero erfolget / daß ers im Schlaffe ertrücket und erſticket / daran auch die Magd / ſo des Kindes halben gemietet / etzlicher Maſſen Schuld gehabt / daß ſie ihme / als einem trunckenen Manne / das Kind folgen laſſen. So werden ſie beyde / wegen ſolcher Verwahrloſung 8. Tage lang mit leidlichem Gefängnüß billig in Straff genommen. Imò (8.) qui lucrantur in ludo ab ebrio, lucrum retinere non poſſunt, ſed tenentur ad reſtitutionem, *Franciſc. Tolet. cit. ſumm. caſ. Conſcient. lib.* 8. *cap.* 61. *num.* 8: *pag m.* 1168. (9.) Baptiſmus à miniſtro ebrio mutilatis aut imperceptibilibus formulæ baptiſmatis verbis adminiſtratus, pro vero & legitimo habendus non eſt: perinde quippe eſt, aliquid non eſſe factum, & non eſſe legitimè juxta Chriſti inſtitutionem factum. Ideo absque ullo ſcrupulo aut metu iterati baptiſmatis infans ſobrio miniſtro ad baptizandum offerendus eſt: quia, juxta regulam Leonis non poteſt dici iteratum, quod neſcitur eſſe factum, *Pruckner. Manual. Qq. Theolog. cent.* 5. *q.* 14. *p. m.* 220. Notabiles tres hâc de re quæſtiones proſtant apud *Dedekenn. vol.* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *ſect.* 1. *n.* 2. *p. m* 396.

*Tit.* Wegen einer von einem trunckenen Prieſter übel verrichteten Tauffe / wie es ſowohl mit dem Kinde / als mit dem Pfarrherren zu halten. ubi reſpondit Facultas Theologica Jenenſis, & quidem ad Quæſt. (1). Ob der Eltern begehren nach/ das Kind nach CHRJSTJ Einſetzung nochmahln zu tauffen? Aff. Quæſt. (II.) Wann ſolches bejahet würde/ wie es anzuſtellen / daß hierdurch den Wiederſachern keine Urſache zu läſtern gegeben werde? Reſp. daß/ zuverhüten allerhand böſe Nachrede / das Kind daheim / und in der Eltern Hauſe zu tauffen / und die jenigen / ſo erſtesmahl in der Kirchen bey derſelben Handlung geweſen / darzu als Zeugen einzuladen. Quæſt. (III.) was mit dem Pfarrern vorzunehmen / und ob er am ſelbigen Orte zulaſſen? Reſp. ut ſuprà *cap. huj. Diſp. præcedent. add. Ludovic. Dunt. fidelis Dedekennt. epitomator, ſi non exſcriptor. cap. 14. q 13. p. m. 460. caſ. conſcient.* Atque tantum de contractibus bonis: mali jam ſeſe pari ratione exhibent, in quibus tamen totum negotium brevibus conficiendum eſſe arbitramur, modò diſtingvatur (1.) inter ebrietatem & ebrioſitatem (2.) inter ebrietatem levem atque ſenſus noſtros corrumpentem. His ita præmiſſis omnino confiteri in hac delictorum materia neceſſum habemus, adhibitionem poculorum immodicam per ſe vitium eſſe, & in ſe malitiam moralem apertè habere, ſicut apparet ex lege naturæ, divina, atque etiam humanâ, prohibente per ſe tales abuſus. Cum inſuper ex immodico potu rationis privatio ſubſequatur, qua homo non modò ad omnes actiones honeſtas ineptus exiſtit, ſed omnii inſuper fere generis peccatorum periculo expoſitus eſt; deformitas & turpitudo ejus peccati magis apparet. Hinc per ſe puniendam eſſe ebrietatem nullum eſt dubium, eoque magis, ſi ſit voluntariè & iterum iterumque admiſſa.

miſſa, Id quod etiam ultra Conſtitutiones in *cap. præced.* allegatas præjudicio apertiſſimo comprobarunt Scabini Lipſienſes, atteſtante *Carpz. pr. crimin. p. 3. q. 146. n. 28. in verb.* Hat ſich euer Unterthaner / von welchen eure Frage meldet / etliche Tage nach einander berauſchet und ſehr vollgeſoffen / und weil er dardurch ſeinen Mitnachbarn / euren Unterthanen groß Ergernüß gegeben / habt ihr ihn zu einem nüchtern und mäſſigen Leben vermahnet / und hinführo ſich der Trunckenheit zu euſſern anbefohlen / deme er zu wieder unlängſten ſich dermaſſen bezecht / daß er nicht gehen können / ſondern von ſeinem Weibe und Kindern heimgetragen werden müſſen / in maſſen er ſolches nicht in Abrede ſeyn kan etc. So wird er deßwegen 6. Tage lang in Gefängniß / darinnen er mit Brod und Waſſer zu ſpeiſſen / in Straffe genommen / mit der Verwarnung / daß wo er hinführo von ſolcher Trunckenheit nicht abſtehen wird / Er mit einer höhern Straffe / auch wohl mit Landesverweiſung belegt werden ſoll / V. R. W. *Ad requiſitionem Rudolphi ab* Altmannsdorff *Menſ. Jun. Ann.* 1631. Quoniam tamen dolus, qui regulariter quamlibet perfecti delicti eſſentiam ingredi debet, hac in re, mentis inopiam comitante, adeſſe nequit, igitur pœna non ordinaria, ſed pro ratione diverſitatum ac circumſtantiarum, extraordinaria, fuſtigatio ſcilicet, vel relegatio perpetua & temporalis adhiberi debet: Imò ebrium, quando citra culpam ſuam factus eſt ebrius, nullam contrahere culpam per quoscunque actus malos in ebrietate factos contendit *Franciſc. Tolet. de inſtruct. Sacerdot. lib. ſæp. cit. cap. 61. n. 5. p. m.* 1168. *add. Ludov. Molin. de Juſt. & Jur. Tract. 3. tom. 4. diſput. 38. num. 6. pag. m.* 1953. Quamvis *Jul. Clar. §. fin. ſentent. q. 60. num. 12. verſ. cæterum p. m.* 269. dicat, ſe nunquam vidiſſe ebrios planè impunitos evadere, *add. Dominic. Cardinal. Tuſch. Pract. Concl. verb.*

*verb. ebrietas. concl.* 1. *p. m.* 1. *n.* 7. Modo tamen ad ſe ex ebrietate reverſus doleat crimen in ebrietate commiſſum, atque neſciat, ſe inebriatum alios offendere atque percutere ſolere, vel antequam vino madefactus, animum occidendi non habeat. Contra verò ebrietas levis, ut & ebrioſitas nequaquã reum à pœna ordinaria lege conſtituta, eximere queunt: quoniam hæc malitioſum hominis propoſitum non excuſat, qui ſciens ſe delinquere ebrium, ebrietatem tamen ex prælectione quadam nihilominus amplectitur: Nam quando quis ſciens ſe uſum rationis perditurum, ſeu in ebrietatem caſurum, adhuc potum talem ſumit, moraliter peccat; quia damnum notabile ſibi infert, *Tom.* 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. *Tolet. Caſ. Conſcient. lib.* 8. *cap.* 61. Illa cum uſum rationis non omnimodo auferat, vel perturbet, excuſationis gratia neutiquam alleganda venit. Poteſt, qui plura deſiderat in puncto limitationum, adire præter hactenus citatos, ſequentes etiam Autores, videlicet *Maſcard. probat. Voluſn.* 2. *lit. E. p. m.* 1. *Luc. de Pen. l.* 1. *n.* 7. *& ſeq. verſ. quæritur ſecundo. C. de erog. milit. ann. lib.* 11. *Dn. Chriſtoph. Philipp. Richter. de ſignif. Adverb. lit.* I. *verb. Jejunè* 4. *p. m.* 339. *Petr. Greg. Tholoſan. Syntag. Jur. Univerſ. lib.* 39. *c.* 8. *n.* 4. *p. m.* 785. *Ludov. Molin. Tract.* 3. *tom.* 4. *diſp.* 38. *num.* 5. *& ſeqq. p. m.* 1923. *& ſeqq. Philipp. Dec. conſ.* 112. *num.* 1. *p. m.* 124. *Dominic. Arum. de Jur. Publ. vol.* 3. *diſc.* 24. *num.* 76. *p. m.* 979. *ex Johann. Griphiandr. de hom. civ. ſoc. memb. & diſp. ad Inſt.* 12. *theſ.* 8. *p. m.* 922. *Theod. Reinking. de Regim. ſec. & eccl. lib.* 2. *cl.* 1. *c.* 8. *n.* 39. *& ſeqq. p. m.* 852. *& ſeqq. Decian. pr. Crim. lib.* 51. *c.* 38. *num.* 53. *& ſeqq. Vulpell. conſ.* 23. *num.* 2. *& ſeqq. Caball. reſolut. criminal. c.* 297. *num.* 7. *& ſeqq. Andr. Gail. pract. obſerv. lib.* 2. *obſ.* 190. *n.* 23. *& ſeqq. Pegver. deciſ. criminal.* 7. *num.* 22. *Matth. Weſenbec. ad l. Cornel.*

*nel. de ſic. num. 24. p. 354. Bertazz. conſ. 26. num. 2.* Reliquis voluntario motu inſtigati ſuperſedemus, præſertim qvum in tam copioſa zizaniam eradicanti materia impoſſibile arbitremur omne extirpare folium: quapropter abſolutum purgandi officium tuæ, benevole ſinccreque Lector, dexteritati, tempore occaſione aliquando exigente, lubentiſſimè amiciſſimèque committimus. Reſtant pocula illicita venenata, quæ conſimili via, in quantum fieri poterit, impoſterum expediemus. Sit itaq; Jehova ducente.

# CAPUT XI.

## POCULA VENENATA IN GENERE, EARUMQVE CAUSAS DOCENS.

QVamvis fortaſſe omni animalium naturæ inſitum quaſi innatumque cenſeatur principium, ut ſui ſimilia nequicquam fugiant aut averſentur, multò min9 odio certe indebili aut lethali quoque proſeqvantur; attamen ſola ferè & unica humana indolis perverſitas eò aliquando mortalia proh dolor! pectora adigit, ut poſthabito illo arctiſſimo communis neceſſitatis vinculo *l. 3. ff. de J. & J.* ut & ſepoſitâ legis obſervantia, Chriſtianæ videlicet charitatis, quomodocunque fieri poſſit, extremum ſibi invicem minitentur diem. Tigris ſiquidem cum tigride congrediens notiſſimam mundo rabiem deponit; Leo leonem expectans terribilem omnibus rugitum deprimit; urſus urſum oſtendens immanem cæteris feritatem abſcondit: aſt homo, rationalis creatura, quid? Dei imaginem repræſentans hoſpitium, atque Dei cauſa in hoc mundo tanquam templo conſtitutus tantam nonnunquam adverſus propriam ſpeciem trucu-

lentiam exercet, ut ſive duriora velle, ſivè atrociora committere quævis profecto furibunda beſtia neſciat. Cuncta nocendi artificia impræſentiarum paginæ non capiet brevitas; nec mei jam eſt inſtituti omnia recenſere: Unicum igitur illud, quod per venenum præparatur, reſpectu alterius partis in jure poculorum illicitorum impoſterum conſideraturi ſumus. *Deſcribimus* autem jus poculorum venenatorum per *facultatem* diſponendi vitioſam circa potum, noxiis medicamentis præparatam. *Cauſa* ejus *efficiens principalis* eſt homo malus, qui ad corrumpendam, imò non rarò exſtirpandam probè conſtitutam proximi valetudinem remedia ſanè damnanda propinat. Exempla hoc in negotio ab alto repetere neceſſarium non duco, cum illa nobis congeſſerit *Zeiler. cent.* 4. *q.* 33. *p. m.* 167. *& ſeq. Johann. Vier. lib. de lamiis. c.* 4. *p. m.* 22. *& ſeqq.* Sic Gregorium VII. Papam ſecundum quorundam opinionem ope Gerhardi Braſuti, coqui, ſex diſtinctos Papas interemiſſe veneno aſſerit *Leonbard. Wurffbaim. in relat. hiſtoric. part.* 5. *p. m.* 108. Item Carolus Calvus Imp. per ſuum medicum Zedechiam Judæum pulverem quendam veneno infectum accipiens, animam efflavit, *Chriſtian. Matth. Theatr. hiſtor. p. m.* 846. Reliqua tàm vetuſtiora, quam recentiora ſicco prætereo pede. *Cauſam inſtrumentalem* præter eam, quam in genere propoſuimus in *capp. anteced.* nonnunquam ſubminiſtrant terribilia illa diaboli mancipia, quæ ad hoc conducta innocentem ſæpius hominem ſuum ſubire diem noviſſimum adigunt. Memorabile aliquod factum nobis dereliquit *C. Tacitus. annal. lib* 13. *c.* 5. *& ſeq.* Nero ſiquidem, inquit ille, intellectâ invidiâ, odium intendit, urgentibusque Agrippinæ minis, quia nullum crimen; neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur: parari venenum jubet miniſterio Pollione Julio Prætoriæ cohortis tribuno, cujus cura attinebatur damnata veneficii nomine Locuſta, multa ſcelerum fama.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0077-5

Nam ut proximus quisque Britannico, neque fas, neq; fidem penſi haberet, olim proviſum erat. Primum venenum ab ipſis educatoribus accepit, transmiſitq; ex ſoluta alvo parum validum, ſive temperamentum inerat, ne ſtatim ſæviret. Sed Nero lenti ſceleris impatiens, minitari tribuno, jubere ſupplicium veneficæ, quod dum rumorem reſpiciunt, dum parant defenſiones, ſecuritatem morarentur. Promittentibus dein tàm præcipitem necem, quam ſi ferro urgeretur, cubiculum Cæſaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum. Mos habebatur, principum liberos cum cœteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci in aſpectu propinquorum, propria & parciore menſa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque ejus delectus ex miniſtris guſtu explorabat, ne omitteretur inſtitutum, aut utriusque morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt: Innoxia adhuc eſt præcalida, & libata guſtu portio traditur Britannico; dein poſtquam fervore aſpernabatur, frigida in aqua effunditur venenum; quod ita cunctos ej9 ortus pervaſit, ut vox pariter & ſpiritus ejus raperentur. Plura exempla ſuppeditat *Johann. Wier. lib. de Venef. 3. c. 35. p. m.* 370. *& ſeqq.* quæ ſingula hic recenſere nimis longum foret. *Materiam* ex antecedentibus *capp.* 1. *&* 7. vidimus, niſi quod hoc in loco addi ſoleat nocivum illud medicamentum, quod ſuo furore ultimam cauſatur peſtem. Hinc venena ex quacunque materie, ſive ex metallorum, ſive ex ſtirpium, ſive ex animantium, vel excrementorum genere, vel ex corporibus mixtis confici conſtat, quæ inſuper ita temperari & impediri poſſunt, ut hominem non mox jugulent, ſed per aliquot dies & menſes, imò teſte *Theophraſto Græco Autore hiſt. plant. c.* 16. dantur venena certo termino perimentia, quæ per aliquot annos in corpore ſopita jacent. Sic enim de Aconito ſcribit: Componi ita fuerunt, ut certis temporibus poſſit occidere, videlicet bi-

bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo, interdum etiam biennio, & quod magis quadrageſimo, prout teſtantur *Prævot. Bacc. Cæſ. Bartol. & alii.* Aſt hæc horrenda perverſorum aconita aliaque id genus incongruè illiciteque mixta remedia experienti medicorum cathedræ judicanda examinandaq; fuſius remittimus. *Forma*, uti in aliis poculis illicitis in genere, conſiſtit in actuali oblatione | potus venenati; quam inſequitur *Finis*, qui pro diverſitate doloſæ improborum intentionis diverſus eſt ac ac varius, ſimul atque melius ex citato loco Zeileri aliisque Hiſtoricis cognoſci poteſt. Supervacaneum etenim foret, omnia ulciſcendi libidinem, vel habendi aut poſſidendi cupidinem continentia enumerare velle. *Effectus* parili modo non uniformis exiſtit: Quoniam quotidianâ edocemur experientiâ, pocula hæcce infecta mortem, morbum ſonticum ſive inſanabilem, cum atrociſſimis ſymptomatibus, furorem & quamvis aliam mentis alienationem; item libidinem, laſciviamque culpabilem conciliaſſe.

# CAPUT XII.

## QVASDAM POCULORUM VENENATORUM SPECIES SUBMINISTRANS.

COnfirmatis in re qualibet quæſtionibus, an ſit, quid ſit, & quæ cauſa ſit? utique apprehendenda cenſetur quæſtio in ordine ſequens, quotuplex ſit? Hoc igitur & nos obſervaturi, miſſis in *præced. cap.* tribus quæſitis prioribus, quartum ſimiliter diſcutiendum ſuſcipimus. Sunt autem ſpecies poculorum venenatorum totidem, quot, penè dixerim, herbarum ſive medi-

medicamentorum noxiorum varietates ; à quibus primariò & principaliter diſtingvimus pocula venenata, olim ab Athenienſibus & aliis populis maleficis pœnæ loco propinata, de quibus *Tacitus* 15. *lib. Annal. c.* 64 *n.* 4. quippe quæ etiam apud Romanos, tum maximè ſi perſona alicujus conditionis, & aliàs de Rep. optimè merita neci deſtinabatur, non erant infrequentia ; hinc Senecam dum ſectio venarum nihil proficere poterat, hauſto veneno in balneum illatum hoc mortis genere fata ſibi maturare voluiſſe legimus, utut fruſtraneo conatu, de quo *Tacitus l. c.* Nec minus à noſtro inſtituto rejicimus potionem illam amaram, quæ inter Iſraelitas Zelotipya agitatos eodem pacto erat ſatis recepta : quoniam non tam ex ſe aqua prædicta maledicta ; ſed potius ex ſingulari DEI Deocratiam exercentis judicio illam ipſam vim obtinebat, *Vid. Chriſtoph. Beſold. Theſaur. practic. verb.* Eifer-Geſetz. 29. *Eberh. Speckhan. cent.* 3. *quæſt. Jur. cl.* 4. *q.* 9. *num.* 2. Aliàs eundem proceſſum enarrat *ex Paul. Fagio. in Tharogum Onkel. Johann. Jacob. Speitel. Notab. Jurid. Hiſt. Polit. verb.* Eiferſucht. 44. *p. m.* 270. Quicunque eſt, inquit, cujus uxor declinet, ita ut æmuletur eam, & agat cum ea juxta morem Zelotypiæ, dicendo ſcil. coram teſtibus, ne abſcondaris cum hoc vel illo : ipſa autem abſcondit ſe cum illo tamdiu, ut inquinari poſſit, hoc eſt, tantillum temporis, ſecundum Rabbi Akiba, donec ovum commodè aſſari & comedi poſſit. Ecce talis prohibita eſt ſuo marito usque dum biberit aquas amaras. Iſtud autem hoc ordine fiebat ; maritus accedit Conſiſtorium, quod eſt in civitate ſuâ, & dicit : Zelotypia laboro erga iſtam Mulierem, propter illum & illum, cum quo ſeſe abſcondit. Et iſti ſunt teſtes mei. Ipſa autem dicit, ſe mundam eſſe. Volo ergò potari eam, ad inquirendum hanc rem. Tunc Judices mittunt eos Hieroſolymam. Non enim potabatur mulier, quæ in ſuſpicione erat, ni-

ſi in loco, ubi erat Conſiſtorium Magnum, quod conſtabat ex ſeptuaginta Senioribus, quodque erat in loco ſanctuarii. Atque illi terrebant eam terrore magno, ut non biberet aquas amaras, dicentes ad eam: Multæ fuerunt ante te, quæ transgreſſæ fuerunt: Viri quoque magni ſunt & præſtantes, quos vicit malus genius, & ruerent in ſcelus. Atque ita narrabant facinus Jehudæ & Thamar: facinus item Ruben, perpetraverat quod cum concubina Patris ſui; nec non & facinus Amnon & Thamar, ſororis ſuæ. Et hoc faciebant, ut eo facilius perſvaderent ei, quô confiteretur peccatũ ſuum. Si dixit, En polluta ſum; vel, non bibam, egrediebatur abſque dote & diſcedebat à marito. Si verò perſeverabat dicendo, ſe mundam eſſe, adducebatur ad portam Templi orientalem, quæ reſpiciebat verſus Sanctum Sanctorum, atque circum ducebant eam de loco ad locum, ſi fortè defatigata confiteretur delictum ſuum. Quod ſi adhuc perſeveravit in ſermone ſuo, tum ſi induta erat albis veſtibus, induebatur nigris, quæ non decorabant eam, auferebanturque ab ea ornamenta, & congregabatur ad eam multitudo mulierum, ut viderent eam, inter quas ſtabat, ſpoliata ſindone & peplo. Poſthæc adjurabat eam Sacerdos dicens: Si declinaſti ſub marito tuo, det Dominus te in maledictionem, in medio populi tui, & ingrediantur aquæ amaræ iſtæ in viſcera tua, ut intumeſcat uterus tuus. Et ipſa dicebat, Amen. Dein ſcribebat nomen mulieris in membrana munda, omniaque verba, quibus adjuraverat eam. Poſt quæ afferebat vas teſtaceum, in quo nihil operis factum erat, infundebatque in ipſum dimidium ſextarium aquæ ex concha, & accipiebat pulverem de pavimento Tabernaculi, ac immittebat in aquam, ſimul quoque imponens alias res amaras, ut eſt abſynthium & hujusmodi. Abradebat quoque in eas nomen mulieris, quod in membrana ſcriptum erat, diligenter, donec nullum planè veſtigium remaneret. Et poſt illa putabat eam: quæ ſi

munda erat, retineri poterat à marito ſuo, ac ſi morbo aliquo laborabat, liberabatur ab eo, ita ut gravida fieret, & maſculum pareret. Si item difficulter ante pariebat, facilem aſſequebatur partum. Si verò polluta erat, ſtatim facies ejus expalleſcebat, oculi proruebant, venter intumeſcebat, & femur ejus concidebat. Eademque horâ, quâ ipſa moriebatur, adulter quoque, qui cum ea rem habuerat, moriebatur; accidebatque ipſi juxta omnia, quæ illi acciderant, ita ut intumeſceret venter ejus, concideret femur & cætera. Hactenus prælaudatus Autor. Alia videtur ratio eſſe *poculi amatorii*: quod ad excitandum amorem ex herbis aliisque rebus præparatur; Illud etenim analogiam quandam cum poculo venenato habere nulli dubitamus. Confectionem ejusdem *vide apud Johann. Wier. lib. cit. cap.* 37. *p. m.* 378 *Harprecht.* §. 5. *Inſtit. de publ. Judic.* Multos autem in furorem exinde conjectos fuiſſe, imò periiſſe hiſtoriæ ſatis ſuperque teſtantur. Sic Lucretium poetam amatorio poculo in tantum furorem verſum, ut ſe tandem propriâ manu interemerit, refert *ex Euſeb. Cæſar.* ſæpe laudatus *Johann. Wier. d. l. p. m.* 382. Lucio Lucillo Imp. idem accidiſſe memorat: Aliud quoque exemplum narrat ſatis memorabile; Novimus, inquit, vetulam tres ordine abbates, ut publica omnium fratrum in eo monaſterio etiam in hodiernum diem eſt opinio, non ſolùm philtris incantaſſe: ſed & interemiſſe, & qvartum jam ſimili modo dementaſſe. Nec eam pudet fateri palam, ſe feciſſe & facere, eosque à ſuo amore deſiſtere nequiviſſe &c. Præterea Gebhardum Truchſeſium, Scoti magi philtris faſcinatum ſcribit *Herm. Herm. Faſcic. Jur. Publ. cap.* 13. *n.* 12. *p. m.* 268. Etiamſi potiones iſtas ad componendos minus rectè ordinatos affectus; & per conſequens tantum amorem in homine erga ſubjectum aliquod conciliantes à prædictis illicitis & nonnunquam arte magicâ adjutis lu-

bentiſſimè ab hoc noſtro diſcurſu acceptas judicemus Præterea in hanc Claſſemreferendum quoad mixturam ſuam & applicationem deteſtandam ſubſequentem *Poculum abortionis*, ad impediendam videlicet conceptionem, abigendum partum & libidinem ſecurius explendam exhibitum; Quippe quod ob ſuum frequentem inter laſcivos uſum ſeveriori ſimiliter uti mox in *cap. ſeqv.* pateſcet, coërcitione dignum eſt.

# Cap. XIII.

## POCULORUM VENENATORUM POENAS SUPPEDITANS.

CUm Reipubl. expediat, delicta puniri; merito viſo malo ad remedia, quæ Juſtitia Correctoria largitur, pervenimus. Ea verò partim Jure Civili, partim Jure Carolino, parrim & Jure Saxonico diverſa eſſe, deprehendimus. Jure equidem Civili ex deciſione *l. Lege Corneliâ, 1. §. præterea 2. ff. ad l. L. Cornel. de ſicar.* Ii, qui homines necandi causâ venena confecerint, dederint, tenentur L. Corneliâ de ſicariis, quorũ pœna ex *l. ejusdem. 3. §. item 4. h. t.* eſt gladius: Jure Carolino ſeverius aliquod ſupplicium percipimus fuiſſe poſitum in *Conſt. ſecundum Carpzov. prax. crim. part. 1. q. 20. n. 15. p. m. 95.* licet Molina ex eodem textu *in verb. ſeqq.* pœnam, objectionem ſcilicet beſtiarum, magis rigidam inducat. *Tr. de Juſt. & Jur. 3. tom. 4. diſp. 24. n. 2. p. m. 1806. Crim. Caroli V. art. 130. tit.* Von Straffe derer/ die mit Gifften oder Poenen heimlich vergeben *p. m.* 248. in verbis. Wer iemand mit Gifft oder Venen/ an Leib oder Leben beſchädiget/ iſt es ein Manns-Bild/ der ſoll

einem fürgeſätzten Mörder gleich mit dem Rad zum Tod geſtrafft werden. Thut aber eine ſolche Miſſethat ein Weibs-bild / die ſoll man erträncken / oder in ander Weg / nach Gelegenheit / vom Leben zum Tod richten: Doch zu mehrer Furcht andern / ſollen ſolche boßhaffti-ge mißthätige Perſonen / vor der endlichen Todtſtraff geſchleifft / oder etliche Griff in ihren Leib mit glüenden Zangen gegeben werden / viel oder wenig / nach Ermeſ-ſung der Perſonen und Tödtung / wie vom Mord deßhal-ben geſetzet iſt. Jure Saxonico Provinciali textum ha-bemus expreſſum in *lib. 2.* Landrecht. *art 43. n. 3. p. m. 725. in verb.* Welcher Chriſtenmann oder Weib un-gläubig iſt / oder mit Zauberey umbgehet / oder mit mit Vergiffteniß / und der überwunden wird / die ſoll man auff einer Hörden verbrennen. Tametſi Jure Saxonico Electorali pœnam Jure Carolino introductam obſer-vari atteſtetur *Carpzov. Pr. Crim. part. 1. q. 20. n. 25. & ſeqq. p. m. 96.* Quid olim uſu fuerit receptum, nos edocent *Valer. Max. lib. 2. c. 5. n. 3. p. m. 173. Johann. Vier. lib. de Venef. cit. Lib. lib. 8. ab V. C. p. m. 197. c. 18.* Qvum enim primores civitatis ſimilibus morbis eodem fermè omnes eventu morerentur, ancilla quæ-dam ad Q. Fabium Maximum ædilem curulem, indica-turam ſe cauſam publicæ peſtis profeſſa eſt, ſi ab eo ſi-bi fides data eſſet, haud futurum noxæ indicium. Fabi-us rem confeſtim ad COSS. COSS. ad ſenatum referunt, conſenſuque ordinis fides indici data. Tum patefactum muliebri fraude civitatem premi, matronasque ea vene-ra coquere, & ſi ſequi ex templo velint, manifeſtò de-prehendi poſſe. Secuti indicem & coquentes quædam medicamenta, & recondita alia invenerunt, quibus in forum delatis, & XX. matronis, apud quas deprehen-

ſa erant, per viatorem accitis, duæ ex eis *Cornelia* ac *Servilia*, patritiæ utraque gentis, qvum ea medicamenta ſalubria eſſe contenderent, ab confutante indice bibere juſſæ, ut ſe falſum commentum arguerent, ſpatio ad colloquendum ſumpto, qvum ſummoto populo in conſpectu omnium rem ad cæteras retuliſſent, haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento ſuâmet ipſæ fraude omnes interierunt, comprehenſæ exemplo earum comites magnum numerum matronarum indicaverunt, ex quibus ad 170. damnatæ. De matre Gryphi Ægyptiorum Regis proprio veneno, quod filio paraverat, interemptâ *vid. Juſtin lib 39. n. 25. p. m. 293.* Solet etiam nonnunquam pœna prædicta rotæ aggravari, atque ſi parricidium vel uxoricidium conjunctum habuerit, in pœnam ſuffocationis per aquam in culeo cum cane, Gallo Gallinaceo viperâ & ſimia ſive fele decerni reusque lacerari ante extremum obitum ferro candenti. Eandem tamen pœnam etiam circumſtantiis iterum atq; ſæpius fuiſſe mitigatam, in ſequentb9, quæ mox prolaturi ſum9. Interim *vid. Jacob. Menoch. de arb. Jud. quæſt. lib. caſ. 359. n. 1. Paul. Zach. quæſt. Medico-Leg. lib. 2. tit. 2. per tot. Anton. Gomez. 3. variar. reſol. c. 3. n. 7. Petr. Theod. Coll. crim. diſp. 7. th. 6. Petr. Gregor. Tholoſ. Syntagm. Jur. univerſ. lib. 31. c. 27. Tib. Decian. tract. crim. lib. 9. c. 21. n. 1. Matth. Berlich. part. 4. concl. 26. n. 7. & ſeqq. Bocer. cl. 3. diſp. 14. th. 35. Paul. Girland. de ſortileg. q. 3. n. 26. Joſ. doc. Damhoud. pr. cr. c. 74. n. 2. & ſeqq. Petr. Heig. 2. quæſt. 35. Matth. Coler. part. 1. deciſ. 180. n. 11. Nicol. de Tudeſch. Abb. Panor. ad c. Paſtoralis. 8. n. 2. x de fid. Inſtr. Jul. Clar. in pract. §. fin. q. 85. Tiraqutll. de Pœn. in præf. n. 21. & paſſ. alib. Reinh. part. 5. diff. 40. Alberic. Gent. ad l. 1. C. de Maleſic. & mathem. & in ſingulari caſu Georg. Dedekenn. deciſ. vol 3. ſect. 7. lib. 4. num. 4. pag. m. 523.* Philtra quod

con-

concernit, diverſam animadvertimus apud Doctores pœnæ deciſionem, *Carpzov.* etenim cum *citat. prax. crim. part.* 1 *q.* 21. *n.* 19. *p. m.* 102. pœnam neutiquam ad mortem extendendam putat: tum quod in delictis propoſitum & intentio delinquentis maximopere ſpectanda ſit per *l.* 1. §. 3. *l.* 7. *l.* 14. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.* tum ob *l.* 3. §. 2. *ff. h. t.* ubi relegatio ſolum punitur, qui non malô animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, deceſſerit. Et hanc opinionem ulterius fovent *Ant. Gometz: tom. 3. var. reſol. c. 3. n. 33. verſ. ſi verò ſine dolo &c. Petr. à Blach. in epit: delict. l. 1. c. 20. n. 6. Jacob. Menoch. de arbitr. judic. quæſtion. lib. cent. 4. caſ.* 358. *Nicol. Boer. q.* 216. *n.* 14. *in fin.* Contrarium tamen videtur abſtruere *Dn. Georg. Adam. Struv. Ex. 48. th. 8. pm. 884. Bronchorſt. Enanthiophan. cent. 4. aſſert. 84. p. m. 490.* ubi occaſione *baſilic. lib. 60. tit. 5. l. 38. §. 51.* textum *l. 38. §. 5. de Pœn.* Sic explicant: Qui abortionis aut amatorium poculum dat, & ſi dolo careat, humilior quidem in metallum damnatur, honeſtior verò relegatur publicatâ parte bonorum. Quod ſi eo is, qui bibit, perierit, ultimo ſupplicio afficitur. Verum enim verò diſſenſum iſtum de facili ſopiendum cenſemus: Quod ſi diſtingvamus cum ſupra laudato *Carpzov. p. m.* inter poculum amatorium, causâ amoris liciti, & ex intentione bona datum; & inter poculum ſimiliter amatorium cauſa impudici amoris, vel (ut eò citius ſalax libido rurſus expleri poſſit) cauſatæ abortionis. In hoc utique dolus intervenit, ad minimum ſaltim implicitus, ex eo, quod fecit rem illicitam, ex qua veriſimiliter potuit ſequi mors, unde tenetur pœna mortis, *Bronchorſt. l. c.* Contrarium dicendum de caſu primo,

qui

qui omninò pœnâ extraordinariâ puniendus dicitur. *add.*
*Bart. â Saxo ferrat. ad cit. l. 3. §. 2. ff. ad L. Cornel. de Si-*
*car. Theodoric. Colleg. crim. l. c. th. 7. lit. a.* & in genere
de Philtris *Majol. dier. canicular. tom. 3. Colloq. 2. p. m. 634.*
*Girland. de ſortileg. q. 12. n. 13. Mant. de Conject. tit. 19. l.*
*11. n. 14. Clar. lib. 5. q. 60. n. 10. Chaſſan. ſuper conſuetud.*
*Burgund. n. 12. p. m. 39. Paul. Zach. quæſt. Medico leg. lib. 2.*
*tit. 1. q. 10. Matth. Delrio disquis. Mag. lib. 3. part 1. quæſt.*
*3. p. m. 362. & ſeqq. ubi plurima ex variis autoribus ex-*
*empla eorum, qui Philtra propinarunt, & per alios*
*characteres illicitos mortales ad ſui amorem pellicere co-*
*nati ſunt, recenſet. vid.* ulterius *Beſold. Theſaur. Pract.*
*voce* Liebeträncklein *50. p. m. 592. Speckhan. cent. 3. cl. 2.*
*q. 5. Johanni Andr. & Heinric. Card. Hoſtienſ. ad c. ſi ali-*
*quis. x. de homicidio. Proſper. Farin. oper. crim. p. 3. q. 87.*
*n. 48.* In poculo abortionis puniendo generaliter di-
ſtingvimus inter partum animatum, qui Jure Saxonico
ſecundum *Conſtit. Electoral. part. 4. Conſt. 4. p. m. 76. §. 1.*
*verſ* und ſolches mag unter der Helffte der Empfäng-
niß geſchehen. Poſt dimidium uterum gerentium tem-
pus talis habetur quanquam *Galen. de uſ. part. 15. c. 5. cl.*
*1.* in maſculis 30. in fœminis 47. diem veti,) & inani-
matum ſive antequam animatus fiat: (mortuum enim
partum in utero materno abigi poſſe, nullum vide-
tur dubiũ) Priori loco pœna capitalis; poſteriori pœna ex-
traordinaria locum obtinet, *Vid. Johann. Harprecht.*
*tractat. crim. §. item Cornel. de ſicar. Inſt. de publ. Judic.*
*num. 33. Weſenbec. parat. ff. ad L. Cornel. de Sicar. num. 7. Con-*
*ſtitut. crimin. Caroli V. art. 133. Menoch. 2. arbitr. jud.*
*357. Daniel. Moller. 4. Conſtitut. Saxonic. Conſt. 4. Paul.*
*Girland. tract. de ſortileg. q. 12. Alban. addit. ad Bartol.*
*in l. 38. §. qui abortionis. ff. de pœnis. Cujac. 6. obſerv.*
*21. Go-*

21. *Gothofred. ad lib. 8. C. de ſicar. Tiber. Decian. prax. crim. lib. 2. c. 19. lib. 9. c. 8. & c. 12. Berlich. 4. concluſ. 8. & alii.* Alias explicationes circa *cit. L. 38. §. 5. de pœn.* tametſi non expreſsè improbemus, interim hac vice mittimus; videlicet *τὸ* mulier ibidem reſpicere poculum abortionis; Tò homo verò, amatorium. Illi quippe non alii, quam muleri: hoc verò tam viro, quam fœminæ propinari ſolet ex mente *Baſilic. l. c.* Similiter nec pro nunc examinamus, quid ſtatuendum ſit de opinione *Cujac. 6. O. 21.* qui occaſione *cit. l. 38.* negaſſe dicunt mulierem hominem eſſe, ut ut excuſatur à *Hermann. Gœhauſen. 2. peric. quæſt. 15. part. 1. p. m. 52.* Ultimum tantum & coronidis quaſi loco proponimus quæſitum illud reciprocà ſemper diſputationis inter Caſuiſtas ſerrà agitatum, nim. an poculum abortonis uxori porrigens prægnanti pariter ac graviter periclitanti in partu, adeò, ut periculum ſit & matrem & fœtum periturum, poſſit puniri vel à magiſtratu, vel ad minimum in conſcientia peccet? Nos, inconſiderato eo, quod affirmativè & negativè afferri ſolet, diſtingvimus inter remedia, quæ directò ad necem partus, abortumque cauſandum tendunt, & indirectè forte embryoni nociva ſunt; Illa quanquam matri proſint, quoniam tamen ex ſua natura atque vi interitum partui cauſantur, ſalvâ conſcientiâ adhibenda eſſe vix arbitramur: hinc & in foro ſoli pœna quamvis mitiori puniuntur, *Matth. Berlich. concluſ. 9. part. 4. num. 45.* Hæc, cum per conſequens tantum extinctionem partus ſecum trahant (videlicet dum mulieri ſuccurritur ex conſilio Medicorum, vel per emiſſionem ſangvinis, vel per pharmacum humoris purgativum) in caſu extremæ neceſſitatis licita nonnunquam eſſe non dubitamus. Interim, vide cum alios, quos experientiſſima Medicorum ſchola tibi ſuppeditat; tum *Jacob. Menoch lib. 2. arbitr. Judic. cent. 4. caſ. 357. num. 20. Farinac. pr. crim. part. 4. tit. 24. de pœn. pocul. dant.* Atque hæc, placide pariter atque benevole Lector, ſunt quæ impræſen-

 tiarum

tiarum conſcribere volui, vel etiam potui; ſi alicubi aberratum, ſi quid minus ad rem dictum, ſi minus perfectè explicatum: memineris illa proficiſci ab homine, qui errare potuit; eoque Juvene, qui omnia ſua cenſuræ rectius ſentientium ſubmittere nondubitat. Cœterum vale & fruere.

---

POcula propinas Themidos Cultoribus; Ecce
Pocula plena docent, pocula plena nocent.
Gratulor! alma Themis denſabit dogmata: tandem
Purpura doctrinæ pocula plena dabit.

*Gratulab. ſcrib.*

PRÆSES.

Quid

QVid ſibi vult *Italus* ? quid *Gallus* ſcommate diro,
Germanos cultos non tolerare ſitim ?
*Marlius* hic noſter, Germani ſangvinis hæres
Auſu præclaro pocula jure ligat.
Aurea ſint precor, hinc ingentis munera cœpti
Pocula, ſit conſtans lausque decusque *tuum*.

*Hæc paucula amico ſuo honorando ſcripſit*

Georg. Haſelhorſt.

---

SO/ vielgeliebter Freund/ ſo wird dein Ruhm ergehn/
Biß an das Sternen-Zelt/ ſo kanſtu wohl beſtehn :
In dem Du deinen Fleiß zeigſt in dergleichen Schrifften/

Womit Du bey der Welt dir kanſt ein Denckmahl ſtifften.
Wohlan/ ſo fahre fort; weil deine Muſen-Kunſt
Dich von dem Pöbel reißt: Apollens Tugend-Gunſt
Wird deinen Schweiß dem Buch der Nach-Welt einverleiben /
Ja Themis wird dafür Dir Purpur ſchuldig bleiben.

Mit dieſen wenigen wolte ſeinen Herrn Landsmanne und brüderlichen Freunde ſchuldigſter maſſen gratuliren

A. Seyfert. B. R. B.

---

SCribere dum properas, ſimulac depingis ad ungvem,
Quæ fugienda bonis pocula, quæque decent.

Perge,

Perge, ſed haud opus eſt ſtimulo, tibi præmia digna
Patria perſolvet, ſedula Muſa dabit.

*Lineolas haſce, quales quales læti applauſus ſincerique affectus ergò Amico ſuo certisſimo gratulabundus adjicere debuit*

Michael Hermann
Ziervogel.

DEr ſauren Arbeit-Schweiß/ ſo von der Tugend ſtammet
Kan ſelten ohne Frucht in ſeinen Blättern ſtehn.
Und weil ein ſolcher Zweig mit Seegen iſt ümflammet
So zeugt ein Wiederſtandt ſein tolles Untergehn.
Ein ſolches weiſen uns Herr Marlens kalte Nächte
Der einer ſanfften Ruh' die Muſen vorgehetzt.
Denn wo die Tugend wohnt mit ihrem Kunſt-Geſchlechte;

QK II k 235



Wird Wolluſt allzu frü aus dieſer Zunft
geſetzt.
Dich Wolluſt hat veracht/ der/ ſo nun hat
erlanget
Dem Fleiß ſo dieſe Schrifft uns unter
Augen giebt
Denn wie ein Diamant in reinen Golde
pranget
So leuchtet Kunſt bey dem/ ſo ſtetig ſie
geliebt.

mit dieſen wenigen / in höchſter Eil ge-
ſetzten Zeilen wolte ſeinen alten und
treuen Fruende auffwarten.

Chriſtoph Wilhelm Nicolai.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0093-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-6800-p0094-6